…CA NAZ.
…Emanuele III
XVIII
H
31
NAPOLI

Dos

73 73

S H

48

53

passato a XVIII - H - 31

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

INSTITUTIONES
JURIS NATURALIS

AUCTORE

VINCENTIO MICELIO


METROPOLITANÆ ECCLESIÆ MONTIS REGALIS
CANONICO PAROCHO

ET EJUSDEM ARCHIEPISCOPALIS SEMINARII
STUDIORUM PRÆFECTO.

NEAPOLI MDCCLXXVI.
EX TYPOGRAPHIA PORSILIANA.

SUPERIORUM FACULTATE.

Digitized by Google





Digitized by Google

FRANCISCO FERDINANDO
SANSEVERINO

JAM EPISCOPO ALLIPHANO, NUNC PANORMITANO AC MONREGALENSI ARCHIEPISCOPO.

VINCENTIUS MICELIUS

SI unquam neceſſe fuit de Religione ſcribenti, grandi aliquo præſidio ſuum opus defendere, & in ejus viri fidem, auctoritatemque confugere, in quo & magnus eſſet amor in Religionem, nec vires deeſſent ad conatus in eam impios depellendos, hoc illud tempus eſt, Præſul Præſtantiſſime. In ea etenim improbitate miſeris his temporibus ſumus, ut non ſit ſatis, ſi morum corruptio impune verſetur in oculis omnium; ſed eo etiam ventum eſt, ut, quæ corrigit mores,

oppugnetur Religio, & ii ſe doctos haberi putent, qui ſacra illius dogmata, fontemque omnium officiorum ex imo ſubvertere utcumque conentur. Cum itaque, cauſam Religionis ſuſcepturus contra hos ſemidoctos, & impios, virum ego hujuſmodi vehementer optaviſſem, ſub cujus nomine meus hic liber prodiret; non utique ut ei gratum facerem, nam id non audeo; ſed ut in eo validum mihi ſubſidium compararem; Te mihi, vel potius me Tibi divina quædam ſors obtulit, Paſtor Religioſiſſime, optime a te merito Principum maximorum favore, imo amore florentiſſime. In quo, præterquam percommode cecidit, ut Pontifici meo prima meorum ſtudiorum libamina conſecrarem, nedum, quod optem de tanta re agens, nihil eſt, ſed adeo abunde ſunt omnia, ut nihil eſſe ſupra poſſit. Tuam Religionem, ejuſque ſervandæ, tuendæ, cordibus hominum inferendæ ingens ſtudium, non redolet, ſed loquitur palam, & prædicat vita tua omnis. Quam uſque ab teneris ita ſapientiſſime compoſuiſti, ut jam tunc intellexiſſe, quam nata ad hanc unam rem fuerit, videreris. Hac

de

Digitized by Google

de cauſa ab annis florentibus eam vivendi rationem amplexus es, quæ hoc magis proprio jure nomen Religionis ſibi vindicat, quod emendandos, conformandoſque ad eam hominum mores unice ſibi proponit. Quod quanto ardore, ac diligentia aggreſſus ſis, quanto exitu, & fructu præſtiteris omni ſacrarum rerum, præcellentiumque diſciplinarum ſcientia probe excultus, ornatus, monſtrant, quæ Romæ, quæ per illuſtriores Neapolitanæ ditionis Urbes commiſſa tibi ſunt munera. Dignus plane qui ab eo, qui ſummam Chriſtianæ rei tenet Pontifice Maximo, poſt collatos inſignes honores, in doctiſſimo ſacrorum Rituum Collegio ad paſtorale officium ſuſtinendum elatus ſis, iniquum quamplurimis, Tibi non impar, Alliphanæ Eccleſiæ Præfectus. Qualem Te ibi non habuere, qualem non ſenſere pauperes Patrem, Doctorem ignari Religionis, Judicem ſontes ſeveriſſimum, Defenſorem boni acrem, & clementiſſimum? Talem Te expectant, quarum inſignibus es auctus titulis Panormitana, & Monregalenſis mea Eccleſia; quæ nuper tantum gemuit viduata Paſtorem. Merito

to ergo gratia, & familiaritate Nobiliſſimorum, Potentiſſimorumque Regni Procerum, ac Regis ipſius Auguſtiſſimi tantum potes. Merito tot, ac tanta demandata Tibi ſunt ab eo, qui omnem gerit Rempublicam, ſagaciſſimo nimirum, & experientiſſimo Viro, de maximis rebus negotia. Quæ, quamvis impeditiſſima, tua tamen omnino ſingulari dexteritate, & prudentia facilem, optatumque exitum habuerunt. Si quid video, Præſul Præſtantiſſime, non hic tuorum eſt finis honorum. Cum igitur in Te tam miro coeant fœdere ſumma Religio, non vulgaris Doctrina, Potentia quam multis invidenda, non facile æquanda, nunquam vincenda, quo poterant ſub nomine, ſub cujus auſpicio ſecurius apparere, audentius progredi Inſtitutiones hæ meæ Juris, ſeu Religionis Naturalis, inter malevolorum, irreligioſorumque hominum turbam? Tibi itaque, optime Mecœnas, acceptum referunt, ſi ſe luci committunt. Tuum erit proinde, qua excepiſti benignitate, qua non negas Religione, qua potes Auctoritate eas ab invidis, ab impiis defendere.

Digitized by Google

INDEX CAPITUM

QUÆ HOC OPERE CONTINENTUR.

PROLEGOMENON. 11

PARS PRIMA.

De Officiis erga Deum.

CAP.I. *De fundamento Juris Naturalis, ſcilicet de Exiſtentia Religionis.* 15
CAP.II. *De rerum Divinarum Meditatione.* 32
CAP.III. *De neceſſitate inferiori Parti vim inferendi, ut Lex Naturalis impleatur.* 38
CAP.IV. *De Amore Dei.* 52
CAP.V. *De Gloria Divina promovenda, ſeu de Naturalibus ſignis Amoris Divini.* 67
CAP.VI. *De Cultu Divino.* 78
CAP.VII. *De Spe, Fiducia, ac Pietate.* 86

PARS SECUNDA.

De Officiis erga nos ipſos.

CAP.I. *De Cultu Corporis.* 93
CAP.II. *De Cultu Mentis.* 102
CAP.III. *De Cultu voluntatis;* 137

PARS

PARS TERTIA.

De Officiis erga alios.

CAP. UNIC. *De Fundamento Societatis Naturalis, ſcilicet de Societate Conjugali.* 151

Digitized by Google

ECCELLENTISS. E REVERENDISS. SIGNORE.

SErafino Porſile pubblico Stampatore di queſta fedeliſſima Città, divotamente l'eſpone, come deſidera ſtampare un' Opera intitolata: *Inſtitutiones Juris Naturalis*, *Auctore Vincentio Micelio*. Pertanto lo ſupplica rimetterne la reviſione a chi meglio ſtimerà, e l'avrà a grazia, ut Deus &c.

Adm. Rev. Dom. D. Dominicus Malarbì S. Th. Profeſſor revideat, & in ſcriptis referat. Die 1. *Maii* 1776.

J. J. EPISCOPUS THEANEN. VIC. GEN.

Joſeph Roſſi Deputatus.

EXCELLENTISS. ET REVERENDISS. DOMINE:

I*Nſtitutiones Juris Naturalis*, quas Vincentius Micelius elucubratus eſt, perquam meditate perlegi. In iis quod Religionem, aut mores lædat offendi nihil: plurima vero ſeſe mihi obtulere adcurate cogitateque ſcripta, quæ longum ævum, ut ille ajebat, noto Scriptori prorogabunt. Utinam compluſculis philoſophicis ſcriptionibus, quas in ſchedis adſectas habet, Vir ſubacti ingenii extremam manum imponat, eaſque in dias luminis auras emittat, quo docti homines totam, quanta quanta eſt, Philoſophiam practicam exactiſſimis methodi Mathematicæ regulis ſolide expoſitam exoſculentur. Interim hujus operis editionem permittendam cenſeo. Neapoli XII. Kalendas Decembres MDCCLXXVI.

Humillimus cliens
Dominicus Antonius Malarbius.

Attenta relatione Domini Reviſoris imprimatur. Die 3. *Decembris* 1776.

J. J. EPISCOPUS THEANEN. VIC. GEN.

Joſeph Roſſi Deputatus.

Digitized by Google

S. R. M.

SErafino Porſile pubblico Stampatore di queſta fedeliſſima Città, umilmente l' eſpone, come deſidera dare alla luce un' Opera intitolata: *Inſtitutiones Juris Naturalis, Auctore Vincentio Micelio*. Pertanto ſupplica la M. V. commetterne la reviſione a chi meglio ſtimerà, e l' avrà a grazia, ut Deus &c.

Adm. Rev. P. Fr. Adeodatus Marone Ordinis Prædicatorum, in hac Regia Studiorum Univerſitate Profeſſor revideat autographum enunciati Operis, cui ſe ſubſcribat ad finem revidendi, num exemplaria imprimenda concordent ad formam Regalis Reſcripti, & in ſcriptis referat. Datum Neap. die 22. menſis Martii 1776.

MATTHÆUS JAN. TESTA ARCH. CART. C.M.

I*Nſtitutiones Juris Naturalis* a Micelio elaboratæ nedum præcepta morum continent geometrica methodo demonſtrata, verum Cl. Auctor in fuſiſſimis adnotationibus, quas operi adtexuit, omnia ex penitiori philoſophia deducere nititur, & quidem acumine haud vulgari; pietatis vero adeo eſt cultor, ut in toto opere nihil antiquius habeat, quam oſtendere jus naturale quantumquantum eſt Religioni obſequi debere: quare has Inſtitutiones, cum alioquin Regiis Juribus non adverſentur, typis edi poſſe cenſeo. Neap. poſtridie Nonas Novembris 1776.

P. Adeodatus Marone.

Die

Die 5. Menſis Decembris 1776. Neapoli.

V*Iſo Reſcripto Suæ Regalis Majeſtatis ſub die 23. elapſi menſis Novembris, currentis anni, ac relatione Reverendi P. F. Adeodati Marone, de commiſſione Reverendi Regii Cappellani Majoris, ordine præfatæ Regalis Majeſtatis.*

Regalis Camera S. Claræ providet, decernit, atque mandat, quod imprimatur cum inſerta forma præſentis ſupplicis libelli, ac approbationis dicti Reverendi Reviſoris; verum non publicetur, niſi per ipſum Reviſorem, facta iterum Reviſione, affirmetur, quod concordat, ſervata forma Regalium Ordinum; ac etiam in publicatione ſervetur Regia Pragmatica. Hoc ſuum.

SALOMONIUS. PATRITIUS.

Vidit Fiſcus Reg. Coronæ.

Illuſtri Marchio Citus Præſ. S. R. C. & cæteri Illuſtr. Aular. Præfect. tempore ſubſcrip. imped.

Reg. a fol.
Carulli.

Athanaſius.

Digitized by Google

Pag.	lin.	ERRATA.	CORRIGE.
10	9	efficiet	afficiet
24	33 *not.*	ex omnibus	Et omnibus
32	28 *not.*	ſed potius	ſeu potius
39	30 *not.*	impetu	impetum
ib.	39 *not.*	voluptatem ta- ctus,	voluptatem, tactu
45	8 *not.*	læſa criminibus	læſa luminibus
ib.	28 *not.*	qui a ſuperfluo,	quod a ſuperfluo
46	33 *not.*	viveſcant ,	vireſcant
49	19 *not.*	ſi valet	ſi volet
57	5 *not.*	& ſuperque	& ſatis ſuperque
62	3 *not.*	vi rite	vix rite
ib.	23 *not.*	qui ſive	qui ſine
64	15 *not.*	ut ulterius	& ulterius
75	14 *not.*	rationem affe- ctum	rationem affectuum
78	19 *not.*	ſit	ſicut
79	5 *not.*	ut fædus	& fœdus
ib.	10 *not.*	cum parte	cum ex parte
ib.	16 *not.*	datur ad præ- ſentiam majo- ris perfectionis	datur ad præſentiam perfectionis, ad præſentiam ergo majoris perfe- ctionis
ib.	32 *not.*	gignetur	gignatur
83	5 *not.*	percipiunt	percipiuntur
ib.	20 *not.*	præpoſtere	præpoſteræ
ib.	32 *not.*	plene	plane
100	26 *not.*	crueviſſent	creviſſent
104	3 *not.*	ſitit	ſiſtit
ib.	4 *not.*	Reali	Rationali
105	13 *not.*	Ex primo	Et primo
111	32 *not.*	avertit	averti
139	3 *not.*	motu (eam et- iamſi)	motu eam (etiamſi)
149	1 *not.*	aſpera	aſperſa
155	19 *not.*	eum	eum
ib.	21 *not.*	fædere	fœdere
158	51 *not.*	languoris, fibra- rum	languoris fibrarum
165	3 *not.*	præmit	premit
ib.		mœretur	meretur
168	7 *not.*	cura e ſpirituum	cum e ſpirituum

160

Digitized by Google

ERRATA.			CORRIGE.
Pag. 160 lin.	51 *not.*	quæ	quo
167	10 *not.*	penæ	pene
173	8	præcedendi	præcedenti
176	35 *not.*	quæ	qui
178	21 *not.*	ſeipſum	meipſum
179	1	impoſſibili	impoſſibilis
186	30 *not.*	æquus	equus

Digitized by Google

Digitized by Google

PRÆFATIO.

DUOBUS modis homo, prout homo eſt, cognitiones rerum aſſequitur, ſenſu intimo, & ratione; ſenſationem enim habet communem cum brutis. Per ſenſum intimum Conſcientia, per rationem habetur Demonſtratio: cæteræ omnes rectæ mentis operationes nonniſi certos continent conſcientiæ, & demonſtrationis gradus. Hæc ſenſim ex conjunctione idearum, & evolutione conſurgit; Conſcientia in anima ſtatim oritur ad acceſſum, & applicationem objectorum. Alteram ſentit quivis homo, dum compos ſit intellectus; alteri opus eſt ingenium, & ars, & exercitatio. Ut a prima ordiamur: in conſcientia latet ſemen omne boni, ac veri. Nam, cum anima, participatio ſit primi Eſſe, derivavit in ſe cum illo boni, atque veri omne principium, & intelligentiam. Hinc eſt, quod, ideis externarum rerum ipſi perceptione accedentibus, de bono illarum vel malo, veritate, vel falſitate ſtatim dijudicat, quin poſſit aliam adducere rationem præter intimum quemdam, & ſibi inditum ſenſum, qui, veluti Lydius lapis applicatione ſui detegat illico qualitatem auri. Contra demonſtrationis natura in hoc ſita eſt, ut per Axiomata, definitiones, Poſtulata vinculo quodam collocentur, & ordine ideæ materiales, & adeo redigatur in anguſtias, quæ excurrere ſolet huc illuc Phantaſia, ut etiam inviti, vel quæ non ſuggerit Conſcientia, vel quæ alio abrepti cupiditate non appercipimus, fateamur. Hoc vero paucorum eſt. Omnibus igitur, qui ſunt compotes intellectus, ſentire in ſe ipſis quid ſit fas, quid nefas, & ſe-

Digitized by Google

cernere verum a falſo datum eſt; quamquam non omnibus conceſſum in apricum proferre veritatem, docere quænam boni, vel mali natura, ſuadere, & alios in aſſenſum adducere. Itaque etſi in literaria Republica multis ſæculis demonſtrationes veræ Juris Naturalis defuerint, non ideo boni & mali cognitio defecit inter homines. Ad boni & mali cognitionem ſatis eſt, ut diximus, intellectualis anima, quæ ubi ad ſe admovet ideas objectorum, tenet ſubito ſintne æqua, vel diſſonent. Illud quidem verum, hanc cognitionem, ſeu ſenſum intimum nequaquam moveri, nec exſurgere, niſi illum objecta exteriora, & ideæ materiales excitarint. Ut enim docet experientia, nulla in anima ſuboritur idea, niſi prius affulgeat idea exterior, utcumque id fiat, ſeu per Influxum Phyſicum, ſeu per Harmoniam, ſeu per Cauſſas Occaſionales. Non quod per ideas hæc vis intima ſentiens, fonſque, unde in nobis ea petit originem, acquiratur; ſed quod non eſt, niſi objiciantur ideæ, de quo mens cognoſcat, & æſtimet. Nam, quamvis anima, quod ad interiorem partem, ac ſui principium, ſit veri, & boni ipſa ſemen, ac genitrix; quamvis cognitio, ſeu lumen Conſcientiæ, quod cum anima oritur, non ſit ulla nobis arte, nec ullo ſtudio comparandum; neceſſe eſt nihilominus, ut objecta ſenſibilia, & materiales ideæ ope luminis hujus ad animi ſedem, ac penetralia deferantur, unde mox de bonitate earum, ac veritate, judicium, vel ſenſus emanet. Has nobis ideas rerum acquirere dicitur Excolere Phantaſiam; & hinc intelligitur quam ſit neceſſarius hujus facultatis cultus.

Enimvero quanto ideæ ſunt ſimpliciores, tanto de bono earum, aut malo vividior excitatur, & purior animi ſenſus. Nam quo ideæ magis ſunt involutæ, & compoſitæ, minus certam opus eſt gigni ideam boni, ac veri, & majus ambiguitatis periculum; quoniam in compoſito non unum objicitur animæ, ſed plura, quæ omnia ſimul admoveri neutiquam poſſunt; quo fit, ut in illud tantummodo cadat judicium, quod ab idea objectum, & applicitum eſt. Itaque, ſi judicium illud toti objecto compoſito tribuatur, ut fieri ſolet vulgo, ambiguitates, erroreſque proveniunt. Contra, ſi

ſi ſolvatur compoſitum in notas ſimpliciores, & harum quæque attente conſideretur, pronum eſt definire ſententiam, eamque per proprium, ac receptum uſu vocabulum proferre. Quod, ſi quis rem ita eſſe, qualem ſentit Conſcientia, perneget, vel quia nondum percepit, vel quia actus alio cupiditatis æſtu, aut partium ſtudio nolit fateri, ideam hanc cum ideis ſimilibus, & penes omnes notis conferemus, & ita confeſſionem veluti vi quadam extorquebimus. In eo ergo poſita eſt omnis natura demonſtrationis, ut quidquid eſt in idea multiplex, ac immixtum ſejungatur; &, quæ ante ſimul, ſingula conſiderentur, ſeu, quod idem eſt, ſolvatur compoſitum in notas, illarum cuique detur proprium nomen, nudæ tum, & ſimplices ad judicium animæ perducantur, ut reputet ſecum ipſa, quæ, quales ſint: ita erit facile, ſi deinde cum ideis æqualibus, aut potius ſimilibus contulerimus, excitare in aliis eumdem ſenſum, & ſi cupiditate, vel ſtudio negent, urgere concluſionibus, ut aut falſum cogantur dicere principium, unde hæc ducta, aut, & quæ in eo latuerunt, concedant.

Conſcientia igitur regit interiorem noſtri partem, exteriorem dirigit Demonſtratio: illa ſecreto monet, & ſuadet unumquemque; hac veluti telo in diſputatione utitur; quamquam in hoc Demonſtratio pendet a Conſcientia, quod inſtitui nullo modo poteſt, niſi ante principium aliquod & dogma, unum ſaltem, quod vi Conſcientiæ compertum ſit omnibus, proinde ut firmum, & ineluctabile ſtatuatur; ſecus enim non eſſet, cum quo ideæ comparentur; in quo ſita eſt vis demonſtrationis. Prima autem principia, vel propoſitiones per ſe notæ nihil aliud ſunt, quam objecta quædam, quæ vix menti propoſita, perſuadent illico vi Conſcientiæ, & evincunt unumquemque. Perſpicitur hinc, quemadmodum in ſcientiis oportet ſit aliquod primum principium, ita ſcientiarum, & demonſtrationis Conſcientiam eſſe fundamentum, nec ſine ea eſſe Demonſtrationi locum. Colligitur etiam uſum Demonſtrationis ſpectare tantum eos, qui anima præditi ſunt, in cujus ſeu eſſe, ſeu penitiori ſinu beni, & veri ſemina reconduntur. Jam veri Conſcientia efſici-

ficitur in hunc modum. Anima, quæ, uti diximus, veri, bonique ſedes eſt, ubi per ſenſationem, & attentionem excipit, admovetque ſibi materiales ideas, ſive, ubi rerum objecta immittunt per corporis Organa ſimulacra ſui, & effigies, ſi hæc illi, quem docuimus, intimo ſenſui congruant apte, &, amico veluti fœdere, Conſcientiæ, quæ judex eſt una, & unica veri trutina, conſocientur, illud jam eſt judicium de rei veritate. Nec id ita velim accipias, quaſi, quæ extra nos ſunt objecta, in nos intrent, vel transferantur: foris illa manent, dum miniſterio ſenſationum intra nos, quacumque id ratione fiat, ſaporum, colorum, quantitatis, & qualitatis imagines effinguntur, quas nos veſtigia, vel idola præferentia rerum facies nuncupamus. Hæc ubi veniunt ad interiorem animam, quoniam in ea ſola veritas habitat, nulla falſitas; ſi hærent, eo ipſo ſentit jam anima objecti veritatem, ſeu, ut melius dicam, concipit abdito quodam, ſecretoque ſenſu, qui Conſcientia dicitur, idque eſt ſibi Conſcire. Hoc autem modo oriri in nobis ideam certi, & in hac objecti animique veluti cohærentia, ſitum eſſe judicium rectum, docuimus uberius in noſtra Pſychologia rationali. Conſcientia boni cadit & ipſa ſuper eamdem ideam, non eodem modo tamen. Omne objectum, communi philoſophorum ſententia, tribus modis poteſt conſiderari; ut eſſe, ſeu ens, ut bonum, ut unum. Itaque, cum natura mali opinione Philoſophorum, & Patrum omnium, in primis Divi Thomæ, in privatione, ſeu carentia, ſive in nihilo, ut utamur Auguſtini voce, ſit poſita, ſi quando anima ab infinito bono, a quo haurit eſſe, in quo eſt, & vivit, quod eſt Deus, cum quo in ſui receſſu, ſeu ſub mente, complexu, & cognatione neceſſaria conjungitur, (ſi modo eſt in ſimplicitate conjunctio,) tranſit ad malum, ſeu limitatum bonum, cujuſmodi ſunt creaturæ omnes, ut oſtendimus in Theologia Naturali, in hoc ex amplexu Boni Infiniti tranſitu ad amplexum boni finiti, ſentiat diminutionem, & anguſtias neceſſe eſt. Omnis creatura limitibus, & malo eſt coacervata, conflataque; unus Deus omnino perfectus, & propterea in eo uno tranquillitas, in eo uno voluptas

Digitized by Google

abſque tædio; in creaturis animi cruciatus, & mœrores. Hic angor, quem in ſecretis interioribus, ubi ad creaturas convertimur, experimur, morſus conſcientiæ dicitur, & in intima animi ſede movetur. Quando igitur anima ad objecti perceptionem, ſi ad illud ſeſe convertat, angitur, & ſollicita eſt; eſſe id malum indicium eſt apertiſſimum. Contra, ſi ad perceptionem rei, & eorum, quæ rem comitantur, ac ſequuntur, manet æquitas, ac tranquillitas; illud indicium boni, & recti.

Hæc a me diſputata, non quod jam hinc in anteceſſum poſtulem, mihi concedas dari bonum, & malum morale. Eſſet hoc invertere ſcientiarum ordinem. Scimus, Juris Naturæ eſſe, ſtatuere, num re detur bonum, & malum morale. Ad regulas methodi, ne diſciplinarum ſeries perturbetur, ea nobis licet jure quaſi noſtro aſſumere, quæ pertinent ad ſcientias Jus Naturæ præeuntes; cujuſmodi ſunt: Eſſe aliquid certi; Eſſe animam, & tenere quaſdam leges in ſuis actionibus; Exiſtere Deum; & hujuſcemodi alia: ſed ideo dicta, ut conſtet, non eſſe neceſſariam juris demonſtrationem, ut cognoſcas dari bonum, & malum morale. Natura ipſa hoc omnes admonet; non opus magiſtro, ac diſciplinis; in naturæ rationalis viſceribus nobiſcum cognitionem hanc gerimus. Id unum demonſtratione agimus, ut, dum analyſi confuſorum a notis progredimur ad ignota, & ab certis, atque perſpicuis nondum explorata & certa conſtituimus, dubitationem omnem eximamus. Illud quoque nobis aperietur, in ſuperioribus poſteriora, ſequentia in antecedentibus fuiſſe abdita, quæ vel non vidimus, vel viſa rata habere non adhuc victi ratiocinatione noluimus. Ex hoc erit, ut nihil habeant excuſationis, qui negant bonum, & malum morale, non ante Deum, non apud homines: ante Deum ob vocem intimam, teſtimoniumque Conſcientiæ; penes homines, quia Demonſtratione, quam non poſſunt eludere, tenentur: Theologicæ facultates non faciunt Chriſtianum hominem; proprium id interioris gratiæ: amplectendam vero Chriſti eſſe Religionem, & profitendam docent: dictiones forenſium cauſarum non dant jus verum; fons omnis

juris

Digitized by Google

juris una eſt natura, & æquitas: quid vero poſcat, & jubeat natura, commonefaciunt. Sic igitur Juris Naturalis ſcientia neque ipſa efficit hominem honeſtum; a Conſcientia hoc, & a voluntate petendum: oſtendit tamen ad id natum eſſe hominem, & omnem adimit excuſationi locum. Ergo ſibi Juris Naturæ ſcientia proponit non indere cordibus hominum boni vel mali cognitionem; ſed ex naturæ, conſcientiæque viſceribus in apricum producere, commendare literis, & univerſitati mortalium ex iis, quæ tantum intelligimus, & refugiunt ſenſus, efferre velut ad Solem, & ad Diem.

Sed quemadmodum propoſitio tunc vera eſt, cum naturæ rei congruit, neque illi plane aſſentimur, niſi talem, intimo animi judicio ſpectaverimus; ita tunc ſeries propoſitionum rite fluet, & ad methodi legem, cum ſequetur, & referet intimam rerum ſeriem, nec ab ipſo naturæ ordine recedet. Meum itaque eſt in hac Juris Naturæ tractatione propoſitum, atque conſilium, quæ ſecreto natura loquitur, & quæ docet in intimis unumquemque noſtrum, educere in propoſitiones certas, & eo illas ordine proponere exterius, quo natura intus officia diſpoſuit, quorum interpres, & teſtis eſt propoſitio exterior. Ita facilior, & firma erit tractatio Juris Naturalis. Nil quippe facilius, quam ideas movere eorum, quæ ipſa tacite ſuggerit natura: immo tam cito ad extrinſecam propoſitionis enunciationem exſiſtunt illæ in anima, & effulgent, ac ſi non nova, ſed obducta, & quorum non meminerimus, opponantur: nihil quoque firmius, quam Intellectu cum Imaginatione, corpore cum anima, ſenſu intimo cum exteriori demonſtratione conjunctis, totum ſuaſiſſe, & viciſſe hominem, in interiori parte vi Conſcientiæ, in exteriori vi demonſtrationis; in intellectu fulgore veritatis, ideis materialibus in imaginandi facultate. Solus animi ſenſus nos evincit, non dat, ut alios convincamus; ſola Demonſtratio phantaſiam coercet, non animo dominatur. Neque igitur inania ſophiſmata, neque hypotheſes effictæ pro fundamento ſunt hujus ſcientiæ collocanda.

Equi-

Equidem quia non omnes reor, queis mihi munus demandatum, ut interiorum naturæ ſenſuum admonitorem agam, & ducem, dediſſe operam omnibus philoſophiæ partibus, quæ huic legitimo ordini facem præferunt, neque omnes, qua par eſt methodo; iis, quæ in philoſophia conſtitueram, & inde mutuari fas eſſet, nihil uſus, eam poſui pro hujus ſcientiæ principio propoſitionem, quam natura ipſa & omnibus ſimul, & ſingillatim unicuique per ora centum enunciavit, & enunciat; quam philoſophorum ſcholæ omnes confeſſæ nunquam non ſunt, & confitentur. Imo neque in ipſa demonſtrationum ſerie ad propoſitiones in aliis philoſophiæ partibus jam ſtatutas pro commodo veſtro me referam, niſi ſumma quandoque cogat neceſſitas, ne ſim longus, & ne longis evagationibus naturalem fluxum demonſtrationum interrumpam, & ſi quando neceſſitate id agam, ut non precario videar ſumere propoſitiones, nec ſim obſcurus iis, qui philoſophiæ parum operæ navaverint, curabo & rationes earum præcipuas, & uberiorem apponere in annotationibus explicationem. Quare, quemadmodum ii, quibus hujuſmodi propoſitionum non adeo affulget veritas, meam hanc ſuæ utilitati inſerviendi voluntatem probabunt; ita veniam, credo, dabunt, quibus meditationum philoſophicarum uſus ſatietatem feret in iiſdem revolvendis, & faſtidium. Ingenitus naturæ hominum appetitus felicitatis, qui profert ſe uſque mille modis, quo feruntur univerſæ cogitationes mentis, & cordis omnes motus, & impetus, erit cardo, in quo hæc tractatio juris naturæ tota vertetur cum ſuis partibus. Felicitas eſt gaudium nulla temporis intermiſſione, nulla doloris, vel moleſtiæ acceſſione turbatum: hunc natura ſtatum cupit, hujus deſiderio movetur, huc ſemper dirigit omnes actiones; atque, ut in eo quieſcat, ſuſcipit labores, fert quoque non ægre injurias temporum, credit ſe periculis, & æſtibus undarum, tot gerendarum rerum, & vitæ negotiis implicatur. Cum vero gaudium, & voluptas oriatur neceſſario ex cognitione perfectionis, ut ex imperfectione tædium, quocumque in objecto eſt aliqua imperfectio, non poteſt natura quieſcere, nec ſuam ibi ſtatuere.

Digitized by Google

tuere. Felicitatem: ſit objectum quavis magna perfectione, ex imperfectione tamen, aut oritur, aut oriri poteſt tædium. Itaque, cum creatæ res omnes conditione eſſentiæ ſint variis undique limitibus terminatæ, ideoque imperfectæ, in nulla creatarum rerum Felicitas poteſt eſſe, ad quam tendit natura, ſed ſolum in Deo. Ut Dei perfectione, quæ eſt infinita, immenſa, ac propterea nulla uſquam imperfectione fædata, delectemur, neceſſe eſt illum cognoſcamus. Perfectio ſine cognitione nec voluptatem creat, nec gaudium. Hæc neceſſitas cognoſcendi Deum, & ejus attributa, quæ ſedes ſunt, & meta felicitatis noſtræ, fert ſecum alia erga Deum officia. Nulla datur idea in anima niſi occaſione, aut ope idearum materialium, quæ auribus, viſu, ſenſibus reliquis comparantur. Hinc officium, ut aſſidue, vel ex voce, vel ex ſcripto cognoſcendarum Dei perfectionum occaſionem ſumamus. Cognitiones, & ideas ſimplicium non aſſequimur, niſi eo procedamus ope attentionis ſuper materiales ideas, ope judicii, analyſis, cæterarumque animi functionum, quas Philoſophia, Meditationis nomine complectitur. Hinc intelligitur teneri hominem ad Dei, divinorumque meditationem, quo ex acceptis jam ideis, quantum fas homini eſt, evadat ad ſimplicitatis ejus intelligentiam.

Ex hoc manat etiam neceſſitas vim faciendi ſenſibus, quæ Mortificatio dicitur: ut amore ſenſibilium, qui animum obtundit, domito, & temeraria noſtri parte compreſſa, vigilem meditationi præſtemus, & acrem mentem. Jam vero, quoniam una eſt, & vera Felicitas Deus, quis neget ſtudio omni, omni magnitudine, & vi amoris diligendum? Hinc iterum alia divini cultus, & venerationis officia. Debitus Deo ingens amor poſcit, ut ejus gloriam, qua fieri poteſt, proferamus; unde eſt licitum Matrimonium, ut, quo latius manat, longiuſque genus hominum, manet etiam cognitio, & cultus veri Numinis. Matrimonium licitum ex fine hoc uno quærendæ Dei gloriæ, quo fit, ut non ſpectandum alio, neque aliud genitoribus ſit curandum, niſi ut liberos ad cognitionem, & amorem Dei, qui eſt una Felicitas, & ad

reli-

Digitized by Google

reliqua Religionis officia voce, & exemplo ducant, dabit locum alteri Juris Naturalis parti, quæ dicitur Jus Œconomicum; de officiis enim erga nos ipſos eſt acceſſio ad officia erga Deum. Qui inde ſequitur numerus, & multitudo domorum cauſſa eſt, cur univerſitatis hujus, ſeu omnium hominum communiter jura, & officia conſideremus; quod Jus Politicum dicunt. Et, cum idem ſit finis omnium, idem iter, media æqua eſſe propterea, communiaque omnibus jura, & officia cernemus. Cupiditatibus, & ignorantia factum eſt, ut, quæ bona promiſcue natura profudit, ea neceſſe fuerit dividi, quod eſt fundamentum Juris Hypothetici, Societatis Civilis, Magiſtratuum, & omnium, quæ pertinent ad Jus Publicum. Denique quemadmodum ex Jure Naturali Hypothetico publica res eget ducibus, & magiſtratibus, qui juſſa naturæ, qua pollere debent ſupra cæteros prudentia, videant, medeantur latione legum ignorantiæ hominum, &, addita triſtitia poteſtatis, cupiditatibus frænum, modumque, pertinacibus terrorem imponant; ita etiam oportet nos, qui in hoc verſamur hypothetico ſtatu, has leges, ſuppliciaque edicta non obtemperantibus, diſcamus; quod dicitur Jus Civile. Animadvertemus in ipſo tractationis decurſu, nec naturalem, nec civilem ſocietatem eſſe ſatis efficax, & potens auxilium ad hæc officia omni ex parte implenda: imo, etſi ducant ad felicitatem, non abſolutam tamen eam, & plane perfectam. Docet Theologia ſolum id eſſe Chriſtianæ Societatis. Si itaque veram cupimus felicitatem, hujus quoque Societatis perfectæ lex ſequenda, quæ Canonica nuncupatur. Lex Naturalis inſtituit Hominem, Civem Civilis, Lex Canonica Chriſtianum. Ergo Jus Naturæ, ut fundamento eſt Civili Legi, ita ante pertractandum: Lex Canonica, ut perficit utramque, niſi prius illas noverimus, quid addat, ut perficiat, cognoſcere non poſſumus. Non arbitremini, Auditores, per omnem vim, & quacumque patent latiſſime, has omnes nos leges excurſuros. Temporis brevitas biennio definita vix patitur, ut ſumma ponam primordia tam vaſtæ rei. Veſtrum erit deinde ſequi cæptum iter, & ſcientiæ tam

neceſſariæ vobis, & cum civili, tum chriſtianæ Reipublicæ, veſtro ſtudio rudimenta perficere.

Ut eo pergamus ordine, quem res exhibet, initium ab Jure Naturali ſumimus. Faxit naturæ Auctor, Pater, ut, quas ipſe inſculpſit cordibus leges, quarum cuique in animo dat argumentum ſat magnum, dilucide exponamus. Adſit Sapientia, Magiſtra mentium, ut ne a vero deflectam. Si accedat unctio Divini Spiritus, exuet adeo cor omni labe, & efficiet, ut vis non modo inſit, ſed etiam ſuavitas redundet in verbis, quæ veſtras & lumine mentes, & irriget rore cœleſti, ad quæ diſcitis complectenda, voluntates. Cedet omne proſpere, cum ex animo Parentem Virginem implorabimus.

PRO-

PROLEGOMENON.

§. 1. ACtiones Internæ dicuntur, quæ ſola vi animæ eliciuntur; Externæ autem, quæ motu organorum corporis perficiuntur. Sunt autem vel Liberæ, vel neceſſariæ. Liberæ, quæ a libertate animæ pendent; Neceſſariæ, ſeu Naturales, quæ ab ea non dependent, ſed per eſſentiam, & naturam animæ, vel corporis determinantur.

§. 2. Libertas eſt Principium activum, ſimplex, quod nec comprincipium habet intrinſecum, unde determinata actio ſequatur.

§. 3. Voluntas eſt ipſum Principium liberum, quod prævia cognitione actiones ſuas exſerit (1).

(1) Duæ in anima ſuut facultates, ut docet Pſychologia; Principium agens, & Cognitio. Principium agens, cum natura ſua ſit vivum, non eget alio, ut agat: agit ſemper, nec actio ab eo ſejungitur; ſed ob vim, motionemque continuam, eſt ſemper novum. Imo, cum ſit ſimplex, nec internum admittit comprincipium, a cujus motu, & actione ad aliquam actionem certam inducatur, nec vis externa poteſt eo procedere, ut illud phyſice ad aliquam actionem adducat. Et ſi qua poteſt vis accedere, cogi tantum poterit, ut actionem ferat, & patiatur, non vero, ut agat. Principium agens vivum, & ſimplex ex ſe tantum agit; ab alio ſolum accidit, ut actionem recipiat. Ad hoc, ut aliquid ab externa vi ad unum quiddam determinetur, in quo ſita eſt neceſſitas, & coactio, opus eſt detur compoſitio; ſimplex vivum omnem excludit compoſitionem: ſolum eſt ergo cauſa, & principium actionis. Cognitio eſt ea animæ facultas, per quam res ipſi objiciuntur; quæ in plures quoque dividitur facultates, Senſum, Attentionem, Memoriam &c. a diverſis objectis, & diverſa objiciendi ratione. Principium agens ſine cognitione liberum eſt, ſed non eſt voluntas: ad voluntatem requiritur, ut actio ſit prius cognita, non ſatis eſt ſit libera, juxta vulgare effatum: *nil volitum, quin præcognitum*. Libertas cum co-

§. 4. Coactio eſt vis extrinſeca adhibita agenti, unde determinata actio neceſſario intelligitur.

§. 5. Coactio dividitur in Moralem, & Phyſicam. Phyſica eſt vis extrinſeca phyſice adhibita agenti, unde determinata actio neceſſario intelligitur.

§. 6. Moralis eſt motivum extrinſecum, quod voluntatem ita adigit, ut, ſi ratione uti velit, determinatam actionem neceſſario eligere debeat.

§. 7. Metus eſt repræſentatio mali futuri, & ab effectu dicitur Tædium, ex repræſentatione mali futuri perceptum.

§. 8. Metus dividitur in Levem, & Gravem. Metus Gravis eſt repræſentatio mali magni, & imminentis: contra, ſi malum repræſentatum leve fuerit, vel longe remotum, Levis dicitur Metus.

§. 9. Metus gravis tunc incuti dicitur, cum majus eſt malum, quod intentatur, quam bonum, quod eligi vult. Contra metus levis tunc incuti dicitur, cum majus eſt bonum, quod eligi vult, quam malum, quod intentatur. (1)

§. 10.

---

gnitione appellatur Voluntas Moralis; Libertas ſine cognitione appellatur Voluntas Phyſica, quam etiam aliqui ſpontaneitatem dicunt, diverſam ab ea, quæ cum neceſſitate conjungitur, ut in plantis. Voluntas moveatur neceſſe eſt, ſive potius ducatur ab objecto, quia cognitionem habet: libertas non item, quia ſtat ſine cognitione, nec ab ea pendet. Ut bene agamus, vel male, libertati comes eſſe debet cognitio, & cum ea boni vel mali perceptio: nam ſine cognitione nec bonum eſſe poteſt, nec malum; quamvis ſine cognitione detur actio libera.

(1) Gravitas metus ex gravitate mali, quod inſtat, & ex bono, quod ſit amittendum, ratione habita utriuſque, pendenda eſt. Si bonum eſt magnum, malumque, quod imminet, eſt infra magnitudinem boni, metus levis eſt, licet malum, in ſe ſpectatum, & non habito reſpectu ad bonum, ſit grave. Propterea diverſi ſunt gradus metus, prout eſt diverſa hominum, temporum, rerumque conſtitutio, quæ efficiunt bonum majus, aut minus. Hinc Deus, & Religio, cum ſint bona, queis nullum in terris poteſt æquari malum, nullus metus illorum reſpectu eſt gravis; Deus enim, ut demonſtrabimus, eſt æterna felicitas omnis; Religio medium ad hanc felicitatem neceſſarium. Quod-

vis

Digitized by Google

§. 10. Lex dicitur Regula, juxta quam determinari debet actio.

§. 11. Lex dividitur in Phyſicam, & Moralem. Lex Phyſica

vis itaque malum adeundum eſt, ne Deum amittamus, neve deſeramus officia religionis, quæ ad bonum, anteferendum plane omnibus bonis, unum eſt iter. Cumque poſt Deum, & Religionis officia, vita hæc, conſervatioque ſui ipſius ſecundum inter bona obtineant locum, quodlibet, ne abjiciamus ea, ferendum malum. Et cum pugnant cætera bona cum bono vitæ, vel mala ſubeunda, ne ſit periculum vitæ; quilibet metus dicitur ſemper levis. Hic vero animadvertendum, alium eſſe Metum, aliam Trepidationem; Metus eſt, cum objicitur animæ malum, a quo, niſi per jacturam rei alicujus, ut honoris, vel fortunarum, aut ipſius etiam vitæ, nullum ſit effugium. Opponitur ergo animæ vel malum, vel alicujus amiſſio boni ſubeunda. Trepidatio eſt, cum ingruit grave aliquod ex improviſo malum, quod ideas interturbat, invertit imaginationis legem, tollit animæ velut omnem conſpectum, ut nequeat cernere neque bonum, neque malum, multo minus dignoſcere, utrum eorum ſit alteri præhabendum; denique ad agendum adſtricta agit temere potius, & cæco quodam impetu, quam voluntate. Aufert propterea Trepidatio moralitatem, quia aufert voluntatem, etſi libertas maneat: non ita Metus. Illa vero Trepidatio omnem aufert moralitatem, quæ omnem adimit animadverſioni locum, & mergit plane, atque obruit rationem. Sed quæ non omnem amovet animadverſionem, neque omnem tollit moralitatem. Metus, & Trepidatio ſuos habent gradus. Ex magno metu fit quandoque tranſitus ad Trepidationem: ex amborum gradibus æſtimandi ſunt moralitatis gradus. Sed etſi Trepidatio ſit interdum tanta, ut tollat omnem animadverſionem, non ideo ſemper eſt animus moralitatis expers. Intereſt non parum, oriatur ne ex tenuitate fibrarum, & infirmitate corporis, in qua ideæ late proferuntur, ampliorеſque fiunt, ut propterea commotionibus, & perturbationibus pateat locus; an ex ipſius natura mali; vel ex defectu virtutum. Debet enim quivis homo virtute pollere, eamque obtinere animi firmitudinem, ut terrena cuncta deſpiciat, nullaque eorum jactura moveatur. Si quis itaque hæret ſenſibilibus, & ob aliquem affectum, quem ratio non regit, non movet Religio, non cohibet virtus, malo inſtante turbetur, vitio tribuendum; nec actio tunc legi repugnans omni caret moralitate, quam exiſtere ſuo loco oſtendemus. Erunt hæc infra magno uſui, cum de Contractibus, & reliquis erga Deum, & homines officiis differemus.

Digitized by Google

ſica eſt regula, juxta quam entium libertate carentium actiones dirigi debent.

§. 12. Lex Moralis eſt Regula illa, juxta quam entia voluntatem habentia actiones ſuas determinare tenentur (1).

§. 13. Lex Moralis alia eſt Naturalis, alia Poſitiva. Lex Naturalis eſt Regula a ratione promulgata, juxta quam entia libera determinare actiones ſuas a natura ipſa obligantur.

§. 14. Lex Poſitiva eſt Regula a ſuperiore promulgata, juxta quam entia libera actiones ſuas determinare tenentur. Hæc Divina eſt, ſi a Deo; Eccleſiaſtica, ſi ab Eccleſia; Humana, ſive Civilis, ſi ab homine ſit condita.

§. 15. Jus eſt Facultas faciendi, vel omittendi aliquid, a lege Morali conceſſa.

§. 16. Jus etiam ſumitur pro Complexu Regularum; unde Jus Naturale, Jus Divinum, Jus Civile dicitur.

§. 17. Officium eſt Actio juxta Legem Moralem determinata.

§. 18. Officium igitur erga Deum eſt, quod Deo debemus; erga nos, quod nobiſmetipſis; erga alios, quod aliis impendere debemus.

JU-

(1) Eſſe entia libera, proindeque liberas actiones, jure ſupponimus ex Pſychologia. Eſſe obligationem dirigendi juxta aliquas regulas actiones liberas, demonſtrabimus inferius. Hic tantum in quo diffideat a lege morali lex phyſica, & nominalem earum definitionem attulimus ex communi uſitatoque loquendi more.

Digitized by Google

JURIS NATURALIS
PARS PRIMA

De Officiis erga Deum.

CAPUT I.

De fundamento Juris Naturalis, ſcilicet De Exiſtentia Religionis.

§. 1. RELigio eſt Vinculum voluntatis humanæ cum voluntate divina (1).

§. 2.

(1) Cum de re eſt quæſtio, primum omnium ſtatuendum, de quo quæritur. Cum quærimus, an detur Religio, fundamentum boni, & mali, & univerſarum legum, quas, ut a phyſicis differant, appellamus morales; non quærimus, an detur Deus, an ſit Ens Supremum, & Perfectiſſimum: id docet Theologia Naturalis, quæ, methodi lege, cum Jus naturæ præcedat, ponimus hic, ut in ea demonſtratum. Hic no-

Digitized by Google

§. 2. Si cognitio voluntatem hominis cum voluntate Dei, Auctoris Naturæ, conjungendam nos doceat eſſe ; Religio Na-

---

nobis tantum quæſtio eſt cum iis, qui Deum concedunt, & e cordibus hominum ejiciunt Religionem . Illum affirmant, ut Ens ſimplex, & Perfectiſſimum, ſeipſo contentum, nec gerere curam noſtri, nec ut gerat decere, qui viles, imperfecti ſumus, nec digni, ad quos reſpiciat Deus; faſtidio potius, quam curæ nos ipſi eſſe poſſe. Voluntates propterea hominum ſolutas omni vinculo, ſolutas lege tendendi ad Deum, cenſent ſibi indulgere, commodum, & libidinem ſequi pro lege debere. Horrorem omnem divini Numinis, & verecundiam legum, quæ plane illi nos devovent, ut in eo finem, quo tendimus, & felicitatem inveniamus, non eſſe niſi inanes ideas, præjudicia, quæ per educationem ebibimus, Politicorum commenta ad populos metu continendos. Contra quos, qui Religionem tuentur, quoniam homo, inquiunt, ſumat a Deo ut ſit, & ut vivat, & ad eumdem redire conetur, teneri ad eum referre omnes actiones, dirigere voluntatem omnem; nec ullam propterea diſſociationem eſſe inter humanam, divinamque voluntatem; ſed ſemper, & omnes actiones hominis eſſe Dei nutui, & attributis accommodandas. Itaque in hoc tota eſt quæſtio: utrum natura voluntas hominis ſit exlex, nec ſit divinæ ſubjicienda voluntati; vel contra. Auguſtinus, ubi de vera Religione, ſic eam definit: „ Ad unum „ Deum tendentes, & ei uni religantes animas noſtras, unde Religio „ dicta creditur. „ Hinc cum diſſerimus, an detur Religio, quærimus, an natura moneat, ut feratur ad Deum hominis voluntas; an ſit adeo forte iſtud Deo hærendi vinculum, ut abrumpi non poſſit, quin decidat e nobilitate ſua, & amplitudine natura hominis, & labatur in infelicitatem. Hæc eſt totius meta philoſophiæ, ſcire, ſitne Religio, quibuſque ſit legibus colenda. Non enim ad aliud componit in Logica mentem, niſi ut, intellecto in Ontologia quid ſit eſſe, quid inter unum interſit, & aliud eſſe, videre deinceps in Coſmologia poſſit, in quem locum, & claſſem entium, hæc ſit mundi, mundanarumque rerum generatio redigenda, quæque ſint proprietates: cumque mundi hujus, rerumque hujus mundi conſiderabilior, & plurimi facienda ſit Anima, peculiarem habeat de natura, & qualitatibus ejus inveſtigationem; tum ut, ex horum natura, & explanatione entium infiniti alterius entis neceſſitate cognita, extra quod neutiquam habere poteſt ſive eſſe, ſive ut exiſtat ens aliud, finem, quo cuncta tendunt, non modo ex rerum ipſarum, ſed & ex ipſius auctoris rerum natura, a quo omnia fluxere, conſpiciat. Ita demum congruentes Deo, conſentientes rebus leges aperientur, quas, recta ratione, quæ vox eſt naturæ, prælucente, cum ſervabimus, finem, propter quem vivimus, conſequemur.

Digitized by Google

Naturalis tunc exiſtit: ſi fides, ſeu cognitio ſupernaturalis voluntatem hominis cum voluntate Dei, Auctoris Gratiæ; Religio ſupernaturalis (1).

§. 3. Ubi datur cognitio perfectionis, ibi datur voluptas: ſeu potius Voluptas oritur ex cognitione perfectionis ſive veræ, ſive apparentis (2).

C §. 4.

(1) Non Naturalem hic, neque Supernaturalem Religionem ſtatuimus. Satis oſtendiſſe quid differant nomine. Certum itaque eſt, Naturalem Religionem, ſi datur, oriri ab naturali cognitione hominis, & pergere ad Deum, ut auctorem naturæ; ſicut ſine fide, & ſine ſupernaturali ordine ad Deum, ut auctorem gratiæ, Supernaturalis Religio non intelligitur. Hoc unum de Supernaturali Religione quæritur inter Theologos; utrum amplectendæ ejus obligatio ſit a Deo ita jubente, an ab natura hominis repetenda; an ſcilicet, revelatione poſita, natura nos urgeat ipſa, & ferat ad Supernaturalem Religionem amplectendam; vel Deus novo, & extra naturæ legem imperio nos adigat: quod definire neque philoſopho datum, antequam cognoſcat eſſentiam ſupernaturalis Religionis, nec eam cognoſcere pertinet ad Religionem naturalem, de qua tantum hic agere propoſuimus. Probandum prius hanc Religionem ſupra naturam exiſtere, proprietates ejus explicandæ, ut inde probetur, hominem ad eam teneri. Quæ non unius ſunt Philoſophi, ſed & philoſophi ſimul, & theologi.

(2) Dari voluptatem, ubi datur cognitio perfectionis, obvium cuique. Nemo effigiem intuetur, hominem perfecte, aut aliud referentem, quin delectationem ſentiat, & voluptatem. Idem licet animadvertere in omni, quod eſt, aut videtur perfectum. Duo tamen in cognitione perfectionis diſtinguere oportet: imaginem objecti oblatam, & cognitionem hanc imaginem offerentem. Imago objecti, quæ actione animæ, quæcumque ea ſit, habetur, ſola ſine cognitione nec tædium animæ affert, nec voluptatem: ſic & cognitio ſine objecto, ſeu ſine idea perfectionis: unde nec ſolum objectum, quamvis perfectiſſimum eſt cauſa voluptatis, nec ſola cognitio; ſed conjunctio cognitionis, & objecti perfecti conſtituit voluptatem. Eſt proinde Modus, ſeu Relatio orta ex idea boni, vel ex actione animæ, quæ exprimit, effingitque ideam boni, & cognitione id bonum intuente. Sicut itaque ex utraque oritur, ita utriuſque imperfectionem induit. Si cognitio perfecta eſt, objectum vero non æque perfectum; non eſt perfecta voluptas: ſi objectum perfectum eſt, non item vero cognitio; imperfecta quoque voluptas. Si perfectio erit apparens, non vera; apparens etiam erit voluptas.

luptas.

Digitized by Google

§. 4 Tædium ibi datur, ubi datur cognitio imperfe-ctionis (1).

§. 5. Gaudium eſt Prædominium voluptatis; ſicut Triſtitia eſt Prædominium tædii (2).

§. 6. Cum Voluptas ita prædominatur, ut in externos actus erumpat; prædominium iſtud voluptatis dicitur Lætitia; ſicut & Mœſtitia eſt prædominium tædii in externos actus erumpentis (3).

§. 7.

luptas: idem de cæteris, quæ vel in objecto, vel in cognitione eveniunt. Quanta ex his in Pſychologiam, & Theologiam deſcendant, videant, quorum intereſt: nos ad Religionem accedamus.

(1) Tædium hic intelligimus, quod opponitur voluptati; proinde ejus definitio patet ex definitione voluptatis. Perfectioni contraria eſt imperfectio; itaque, cum ex cognitione perfectionis oriatur voluptas, ex cognitione imperfectionis eodem modo neceſſe eſt oriri quod opponitur voluptati, nempe tædium.

(2) Dicimus prævalere voluptatem; cum fuerit tanta, ut anima, ſi quod eſt tædium, non percipiat; ſicut prævalere dicimus tædium, cum tantum fuerit, ut non percipiatur voluptas. Itaque prædominium, ſeu affluentia voluptatis poſita eſt in omnis alienatione tædii; quemadmodum tædii in omnis alienatione voluptatis. Et ſicut gaudere dicitur, cujus vel nulla occurrit animo, vel, ſiqua occurrit, non appercipitur imperfectio propter cognitionem perfectionis, aut multiplicis, aut magnæ; ſic triſtis eſſe dicitur, cui vel nulla, vel, ſiqua occurrit, non appercipitur perfectio propter aut multiplicis cognitionem imperfectionis, aut magnæ.

(3) Voluptas, Gaudium, Lætitia, ut contra Tædium, Mæror, & Mœſtitia, non re, & ſpecie, ſed gradibus, & intentione differunt: quævis enim cognitio perfectionis, & quivis inde oriens neceſſario affectus animi habet nomen genericum voluptatiš. Quod ſi cognitio, & cum ea voluptas ita augeatur, ut obruat imperfectionem, ita ut non percipiatur; alio tunc nomine dicitur gaudium: Si intendatur adeo, ut animus delectatione plenus effundat eam in vultum, & oculos, exterioreſque ſenſus; appellatur Lætitia. Eadem dicenda de tædio, triſtitia, & mœſtitia. Notandum verò lætitiam quandoque non ex perfectionis magnitudine, ſed ex animi levitate oriri. Sunt non magnæ virtutis, conſtantiæque homines, qui intuitu cujuſvis etiam minimæ perfectionis abripiuntur, & gaudium per omnes corporei ſenſus partes, & facultates præſeferunt. Stoici cenſuere lætitiam indicium eſſe levitatis animi. Nihil

§. 7. Felicitas eſt ſtatus, in quo ſola, & vera voluptas perdurat (1).

§. 8. Ubi perfectio imperfectioni immixta, ibi Felicitas eſſe non poterit.

Demonſtratur. Felicitas eſt ſtatus, in quo ſola, & vera voluptas perdurat ex §. præcedenti. Ubi datur cognitio perfectionis, ibi datur voluptas ex §. 8. Ubi datur cognitio imperfectionis, ibi datur tædium ex §. 4. ergo ubi datur perfectio immixta imperfectioni, non datur ſola voluptas. ergo, ubi perfectio imperfectioni immixta, ibi felicitas eſſe non poterit.

§. 9. Nil tam homini intrinſecum, quam appetitus felicitatis (2).

hil enim affirmavere in hoc mundo objici poſſe homini tam perfectum, & expers omnis mali, ut ex eo voluptas exuberet, & in ſenſus effluat exteriores. *Cicero in Tuſculanis lib.* 4. *c.* 31. ſecutus eorum ſententiam: *Sint ſane*, ait, *iſta bona, quæ putantur honores, divitiæ, voluptas, cætera; tamen in eis ipſis potiundis exſultans, geſtienſque lætitia turpis eſt..... eodem enim vitio eſt effuſio animi in lætitia, quo in dolore contractio; eademque levitate cupiditas eſt in appetendo, qua lætitia in fruendo; & ut nimis afflicti moleſtia, ſic animi elati lætitia jure dicuntur leves.*

(1) Ad felicitatem nedum requiritur ſit voluptas, ſed ſit etiam ſola: nam ubi tædio locus eſt, ibi non eſt felicitas. Nec modo ſit oportet ſola, ſed ut ſola, ſed & vera, ex vera nempe perfectione ortum ducens. Si enim oritur ex apparenti, & falſa, non erit conſtans, & perpetua voluptas; quoniam perfectio apparens, & falſa, cum re ſit imperfectio, poterit ejus defectus aperiri, & fieri tranſitus a voluptate ad tædium: at ad felicitatem oportet ſit perennis voluptas.

(2) Tam nota cuique veritas hujus propoſitionis, quam nemo non ſentit appetitum felicitatis. Huc ducimur omnes, imo omni ſtudio, deſiderioque contendimus; ad hoc omnem operam, & laborem inſumimus; neque aliud, quam felicitas, omnium hominis actionum eſt finis. Ad unam omnes felicitatem, ſed non uno omnes itinere gradimur. Quocumque ſe oſtendit voluptas, eo anxia fertur hominum natura, non intelligentium, non quamvis delectationem felicitatem creare, ſed verorum, & perennium bonorum, quam nondum hic poſſumus in quolibet bono percipere. Demonſtrari ex animæ natura poſſet hæc propoſitio: ſed non eſt hic locus, quoniam apud omnes conſtat, ne videamur

§. 10. Solus Deus eſt Ens ſine imperfectione ex Theologia Naturali (1).

§. 11. Felicitas extra Deum haberi non poteſt (2).

D.

---

mur initio ſubtilia perſequi ; & ne dum rem alte repetimus, ab Religione longius aberremus.

(1) Ex Theologia Naturali propoſitionem hanc petimus: cognitio enim naturæ Divinæ, & attributorum pertinet ad Theologiam Naturalem ; ſicut officiorum hominis erga Deum ad Jus Naturæ, utpote hujus Scientiæ primum, ac potiſſimum munus. Juris Naturalis hæ partes ſunt: Quid debeat homo Deo, tamquam Auctori ſuo, quid ſibi ipſi, quid aliis, quas debeat amplecti leges, eligere media, ne a Fine, quo tendit, recedat, ne deflectat ; quæ omnia doctrinam de natura animæ, de Deo requirunt : nec, niſi illorum conſiderata natura, perſpici, ac demonſtrari poſſunt. Sed, quæ animæ ſunt, quæ Dei, Pſychologicæ Facultates, Theologicæque continent : merito ergo Religio Naturalis, ut Juris Naturæ pars potior, & præcipua, quæ ad Theologiam, Pſychologiam, cæteraſque ſcientias jam ante pertractatas pertinent, ſumit tamquam certa, quod poſcit ſeries, & ordo rerum, ac perſpicuitas demonſtrationum, ne diſciplinarum immixtio ferat confuſionem. Cum autem nihil ſit tam homini ſanctum, nihil animadvertendum majori diligentia, quam quod docet Religio ; quæ de Religione ſtatuuntur, etiam, atque etiam obſervanda ſunt, ne dubia ſint, ne non firmiſſima. Non decet in ea ponere hypotheſim, aut quod non eſt certum ex omni parte. Ideo e ſuperioribus facultatibus deſumenda, quæ conſtant vere. Nam plurima in unaquaque ſcientia non probant omnes, multa conſenſu unanimi conceduntur. Exiſtere Deum apud Theologos Naturales eſt certum : demonſtretur a priori, an a poſteriori, in hoc diſſident. An iſte Mundus ſit optimus divinorum operum, vel poſſit fieri melior, quin detrahatur divinæ Sapientiæ, adhuc quæritur : Sunt infinita hujus generis. Horum e ſuperioribus ſcientiis licet certa ſumere, non incerta ; neque enim ex opinionibus, vel hypotheſibus ducenda eſt Religio. Deum autem exiſtere certum eſt apud omnes ; & quod ſolus ſit ſine ulla imperfectione dubitat nemo, cum etiam Athei, qui negant Deum, ſi tamen exiſtat, ſolum eſſe debere ſine imperfectione tueantur: Benedictus Spinoza hæc de Deo definitione ſexta : *Per Deum intelligo Ens abſolute infinitum infinitis conſtans attributis : quod autem abſolute infinitum eſt, ad ejus eſſentiam pertinet quidquid eſſentiam exprimit, & negationem nullam, hoc eſt imperfectionem, involvit.*

(2) Docet etiam experientia, quam hoc ſit verum. Omnes extra Deum creatæ res afferunt voluptatem, quia omnes offerunt perfectio-

nem

D. Solus Deus eſt Ens ſine imperfectione ex §. 10. Ubi perfectio eſt immixta imperfectioni, ibi felicitas eſſe non poterit ex §. 3. ergo Felicitas extra Deum haberi non poteſt.

§. 12.

---

nem aliquam, quam vel ſenſu, vel intellectu concipimus, vel ipſi nobis effingimus imaginatione. Nulla perpetuam, neque qua animus expleatur, aut quieſcat; non cibi, potus, concentus, & alia, queis ſenſus indulgent, non honor, gloria, dominatus. Ratio, cur ſenſibilia nequeunt dare plenam, & perpetuam voluptatem, eſt duplex. Omne ſenſibile terminatum eſt, ideoque imperfectum; nec modo imperfectum, ſed imperfectionibus compoſitum, & undique confertum; non enim origo, & natura ſenſibilis eſt ſolum ipſa limitibus circumſcripta; ſed & ipſius omnia attributa, accidentia, facultates, actiones ſuis quæque limitibus circumſcribuntur; nec alia utique ratione poſſunt a natura terminis circumſcripta procedere, niſi tenuioribus uſque terminationibus; adeo ut quodcumque, cauſa exempli, occurrit oculis, & imperfectum eſt in toto, quia res creata, ideoque eſſentialiter imperfecta; & imperfectum in partibus, quibus conſtat, innumeris. Ita non ipſum ſolum objectum, ſed & objecti quævis attributa, accidentia, facultates, actiones cum ſua perfectione in ſenſus invehunt ſuam imperfectionem. Et hoc commune omnibus ſenſibilibus. Motus etiam imperfectus, & quantitas; cum enim minutiſſimis partibus componatur, ideo privationibus, & interruptionibus crebris ſunt affatim intermixta. Oritur inde quod in omnibus externis, imo in omnibus creatis rebus non invenitur ingenua, & conſtans voluptas. Hæret ſemper perfectioni imperfectio, cum qua neceſſarium eſt creata omnia commiſceri, & confundi; & quemadmodum fert voluptatem perfectio, ſic miſcet tædium adjuncta imperfectio, vel ſaltem, perſpecta re, facilis tranſitus a voluptate ad tædium. Fit ex eo, quod cupimus ſemper nova, quæ aut nondum experti ſumus, aut cujus ſaltem memoriam imperfectionis amiſimus: & intelligitur relationem eſſe omnem voluptatem in ſenſibilibus, non veram, & ſolidam delectationem. Altera ratio, cur in ſenſilibus homo nequit habere ſolam, & perpetuam voluptatem, eſt hæc. Miniſtri voluptatum ſunt Spiritus Animales; in eorum enim motu, atque uſu eſt voluptas. Hi cum ſæpe redeant ad objectum, unde hauſere delectationem, & affluant ſæpe ad eamdem ideam, quod dicitur Affectus animi; aguntur ſenſim celerius, & commoventur, & in eo veluti motu, & æſtu vis magna eorum avolat, & diſpergitur: imo & reditu per idem iter aſſiduo afficiuntur etiam exiguæ fibræ, quà eunt, & læduntur. Hic æſtus, & avolantium inde ſpi-

§. 12. Felicitas ergo, quam natura humana appetit, ſi datur, in ſolo Deo haberi poteſt ex §. 11.

§. 13. Deus per ſe aptus eſt ad creandam Felicitatem (1). D.

ſpirituum diſſipatio, fibrarumque affectiones crebræ, ac propemodum coſio, facile tædio commutant voluptatem: ideo ſenſibilibus frui diu ſine moleſtia non poſſumus. Senſibilium magis imago delectat, quam uſus. Nam, cum imagines fingamus ipſinobis, quidquid obſervatur jucundum animo, quod aut oculis, vel aure percipimus, ultro adjicimus, imperfectionem, quam poſſumus, amovemus. Sed, cum etiam imago ferat neceſſario deſiderium, ſeu appetitum poſſidendi quod bonum objicitur, relabimur in ægritudines. Licet enim imago ferat majorem delectationem, quam poſſeſſio; deſiderium tamen hanc quoque abrumpit, & minuit voluptatem: tædet enim non habere, quod placuit. Si habebimus, mala redeunt, quæ recenſuimus. Ne in aperta re longius immoremur, ſufficiat dixiſſe, omnes extra Deum creatas res eſſe plenas limitibus, & propterea neceſſarias in omnibus eſſe commutationes delectationis in tædia. Accedit quod intellectus percipit tantummodo neceſſaria; idcirco ſolum Deum; nam cætera extra Deum ſunt contingentia. Propterea poſſibilitatem tantum, & perfectionem eorum poſſibilem videre in ipſis poſſumus, non exiſtentiam: eorum actiones, & cum actionibus delectationes in phantaſia locum, & experientiam habent; in intellectum ſolus Deus agit. Si cui datum umquam creatas res intellectu percipere, in uno Deo hoc datum: in eo enim, utpote & rerum, & facultatum, & bonorum omnium fonte, fas eſt puras illas, & exutas omnibus imperfectionibus cernere: oritur ex eo, quod animas noſtras, dum vertimur in hoc mundo, intellectu nec umquam viderint in ſeipſis Philoſophi, nec videant.

(1) Hoc unum demonſtravimus in propoſitione: Deum idoneum eſſe creandæ Felicitati; non, quod ſit noſtra Felicitas. Ideo his verbis uſi ſumus, Deum ex ſe, & quod ad ſe attinet, eſſe objectum Felicitatis: nam, cum in omni genere voluptatis, & propterea in Felicitate duo oporteat eſſe, cognitionem, & objectum, in quo cognoſcatur perfectio; tantum de objecto, quodnam poſſit eſſe, locuti ſumus; & aliud præter Deum non eſſe, tum ex poſitis rationibus demonſtravimus, cum aliis, quas in adnotatione attigimus; cætera vero omnia, ut eſſentialiter imperfecta, ex ſua natura poſſe ſaltem afferre tædium. Idcirco natura talia non eſſe, a quibus peti poſſit voluptas ſola: omnia quoque eſſe contingentia præter Deum, & ex eo fieri, quod eorum voluptas neque penetret, & ingrediatur animum intimum; nec, quæcumque ea ſit, ſit tamen conſtans. De Cognitione, quæ eſt Voluptatis, & Felici-

Digitized by Google

D. Deus eſt Ens ſine imperfectione ex §. 10. ; ergo aptus eſt ad creandam ſolam, veram, & perennem voluptatem. Felicitas eſt ſtatus, in quo ſola, & vera Voluptas perdurat ex §. 7. ergo Deus per ſe aptus eſt ad creandam Felicitatem.

§. 14. Nil tam homini intrinſecum, quam tendere ad eum.

D. Nil tam homini intrinſecum, quam appetitus Felicitatis ex §. 9. Appetitus eſt tendentia in aliquod ex Pſychologia Experimentali: ſolus Deus aptus eſt ad creandam felicitatem ex §. 12. & 13., ergo nil tam homini intrinſecum, quam tendere ad Deum.

§. 15. Facultates naturales eodem determinantur fine, quo natura ipſa, cui inſunt (1).

§.16.

---

licitatis pars altera, non egimus adhuc: quæ mox dicentur, arbitror allatura non paucis quæſtionibus lucem aliquam.

(1) Intellectis verbis hujus propoſitionis, facile erit rem intelligere. Facultates naturales cum ſint veluti medium, & auxilia procedentia ex ipſa natura, ut eorum uſu pervèniat, quo tendit, & cupit, ibique quieſcat; nemini dubium eſt, eas dirigi ad finem eumdem, ad quem dirigitur natura, cui inſunt. Ut alia omittam exempla, adducam quod propius accedit ad rem noſtram. Humana natura tendit ad Felicitatem: ad Felicitatem duo ſunt neceſſaria, Cognitio, & Objectum perfectum; hinc humana natura non habet facultates alias, niſi Cognitionem, & Voluntatem; Voluntatem, ut agat, & recte agendo perfectionem in ſe augeat: Cognitionem, ut videat ſuæ Felicitatis objectum: Cumque perfectio non ſit aliud, niſi major effuſio primi Eſſe, dum in perfectione creſcit, in Deo creſcit, præſentiorique Deo fruitur; quoque pluribus augetur perfectionibus, eo magis amplificat Deum in ſemetipſa, & gaudii ſui facit objectum majus: Inde eſt, quod in homine natura duabus hiſce facultatibus ſuam omnem vim ſemper ſuggerit, totaque eſt in iis adjuvandis, ſuſtinendiſque, imo & in iis ipſa ſubſiſtit; Memoria enim eſt potius harum facultatum modus, & exercitatio, quam facultas diſtincta; eadem enim cognitio percipit præſentia, videt præterita; In præſentibus Perceptio; Memoria in præteritis; ſi animadvertit hæc ſe percipere, Apperceptio; ſi nectit duas, aut plures ob ſimilitudinem ideas, conjungitque, vel disjungit ob diſſimilitudinem, appellatur Judicium: eadem quoque Cognitio dicitur Senſus,

cum

§. 16. Nil tam Voluntati humanæ intrinſecum, quam tendere ad Deum.

D. Vo-

cum errat confuſa in materialibus ideis, ac phænomena tantum percipit; Phantaſia, cum excitat ideas materiales, quas habuit; & cum ſe aufert a conſuetudine ſenſuum, erigitque in veram, & intimam rationem rerum, dicitur Intellectus: Quemadmodum Senſus, cujus omnis natura ſita eſt in materialium perceptione pene cæca, & confuſa, ex diverſa percipiendi ratione ſumit diverſa nomina, & cum excipit objecta per aures dicitur Auditus; cum per oculos Viſus, ita de reliquis: quæ quamvis non ſint, niſi variæ functiones ejuſdem facultatis cognoſcitivæ; ex diverſis tamen objectis, & diverſa percipiendi ratione diverſis nominibus diſtinguuntur. Neque Appetitiva facultas plus eſt, quam una, quæ quidem ex ſui nobiliori uſu dicitur Voluntas; cum enim ad id movetur, quod objicit intellectus, ſeu cognitio intuens rationem rerum, habet nomen Voluntatis: eadem tamen, cum deſcendit ad ea, quæ confuſe videt, & turpiter utitur ſenſu duce, dicitur Appetitus Senſitivus: qui item dividitur in alias facultates; non quod in ſe dividitur, ſed quod multis modis movetur: cum, exempli cauſa, quærit, quod objicit ſenſatio guſtus, vocatur Gula. Cætera, quæ pertinent ad voluntatem, per vos ipſi cognoſcere, ſunt namque aperta, poteritis. Ut ad rem redeamus, omne, quod agit homo, ſeu in ſuperiori, ſeu in inferiori parte, non eſt, niſi quædam exercitatio facultatum Volitivæ, & Cognoſcitivæ. Non appetit, niſi felicitatem natura hominis. Felicitas in his duobus eſt ſita, Perfectione, & Cognitione perfectionis. Jure ergo neque eſt præter has, nec requiritur alia facultas in homine. Juxta Philoſophos non aliud eſt Natura, quam vivum, actuoſumque principium, quod rebus ſubeſt; & in hoc differt Natura ab Eſſentia, quod hæc ſit origo ultima, & radix, unde, quæ rem conſtituunt, proficiſcuntur; illa vero conſideretur ut fons, & principium omnium rei actionum. Natura quæque ideo agit, quia ſecum habet finem, & vim ejus aſſequendi, ac poteſtatem, quæ ſunt facultates; & illuc ſemper dirigit actiones; nec poteſt quidquam agere, quod ad finem non ducat; ſupervacaneum enim eſſet. Inde eſt, quod Natura, quæ non habet libertatem, rectiori ſemper, & breviori itinere cum omnibus actionibus tendit ad ſuum finem. Natura eſt principium ex ſe indeterminatum ad certas actiones; determinatur autem a fine. Determinata ad finem dicitur hanc habere, aut illam facultatem; quia præter actiones, quæ ducunt ad finem, nequit aliud agere. Nos vero, qui, ſicut rem in ſe nullam, ſic nec rei fines cernere in ipſis poſſumus, ex aſſiduis tantum actionibus, qui ſint, educimus

D. Facultates naturales eodem determinantur fine, quo natura ipſa, cui inſunt ex §. 15. nil tam homini intrinſecum, quam tendere ad Deum ex §. 14. Ergo nil tam voluntati humanæ intrinſecum, quæ eſt facultas naturalis hominis, quam tendere ad Deum.

§. 17 Voluntas humana natura ſua tendit ad eumdem finem, quo natura ſua Voluntas Dei.

D. Voluntas Dei natura ſua tendit ad contemplationem ſui ipſius, ut ex ipſa ſolam, veram, & perennem perci-

piat

---

mus. Ita, dari in natura hanc vel illam facultatem, aſſerimus. Re autem, & intrinſecus facultas eſt natura ipſa determinata ad aliquod actionum genus, quod ducit ad finem. Clarum proinde eſt, cum facultas non ſit aliud præter naturam ſe exſerentem in certam aliquam actionum ſeriem, quæ ducat ad finem, non habere Facultates finem alium, niſi quo tendit natura ipſa, cui inſunt. Quod attinet ad Naturam Liberam, nequit ea, cum agit, recedere ab illa actionum ſerie, quæ aut ad Finem ducit, aut videtur ob ſimilitudinem ducere; non enim habet aliam facultatem. Ideo natura hominis, quæ tendit ad objectum, in quo ſola eſt, & vera voluptas, neſcit aliud edere genus actionum, quam ut quærat, & habeat ea, in quibus ſit bonum, unde emanet voluptas. Imo, cum omne creatum bonum ſit ſpecies, & derivatio primi boni; cuicumque hæret anima, refertur quodammodo in eo, etſi non pergat, ad primum Bonum; & fallit quodammodo deſiderium ingenitum primi Boni. Quodlibet creatum objectum natura ſua ducit ad Deum; ideo nobis iis uti datum; ideo in quolibet objecti veluti gradu, donec eo evadamus, eſt ſua voluptas, tum ex felicitatis Perceptuританione, quam dicunt; cum ex mirifica comparatione naturæ, ut vires animæ addantur ad procedendum, donec ad Deum perveniat, & in eo conquieſcat. Grave autem cum ſit mortalibus tendere iter, quod deſinit in gaudium perenne, & verum, quia ferenda multa, multiſque rebus in hoc actionum, vitæque genere vale dicendum; ideo, qua abutimur, libertate in primo hæremus aſpectu rerum, & gradu; in ſola ſcilicet, eaque imperfectiſſima ſummi Boni imagine, quæ præbet ſubitam, & laboris expertem voluptatem, quæ dicitur Senſibilis: & accidit ſæpe, quod merſi tenebris cupiditatum, & ignorantiæ, agimur iis, quæ non dant, ſed ſolum promittunt voluptatem, putantes temere, ſed brevi pæniturі, ingenitum illud vehemens felicitatis deſiderium explere.

piat voluptatem, ac proinde felicitatem ex Theologia Naturali: Voluntas humana natura ſua tendit ad Deum ex §. 16. ut ex ipſo ſolam, veram, ac perennem voluptatem percipiat, ac proinde felicitatem ex §. 9, 14, & 16: ergo voluntas humana natura ſua tendit ad eumdem finem, quo natura ſua tendit Voluntas Dei.

§. 18. Duorum, vel plurium Conjunctio circa eumdem ſitum, locum, ſpatium dicitur Vinculum rerum materialium. Naturalis Conjunctio duorum, vel plurium circa eumdem finem eſt Vinculum rerum ſpiritualium (1).

§. 19. Datur Vinculum inter Voluntatem Dei, & Voluntatem hominis.

D. Voluntas hominis, & Voluntas Dei natura ipſa eodem omnino conjunguntur fine ex §. 17. Conjunctio duorum entium circa eumdem finem dicitur vinculum ex §. præcedenti; ergo datur vinculum inter voluntatem Dei, & voluntatem hominis.

§. 20. Datur Religio.

D. Religio eſt vinculum voluntatis humanæ cum voluntate divina ex §. 1. Datur vinculum inter voluntatem humanam, & voluntatem divinam ex §. præcedenti; ergo datur Religio.

§. 21. Nil tam homini intrinſecum, quam Religio (2).

D. Nil

(1) Nedum corpora, & rerum materialium congeries, ſed & Spiritus, & immortales animæ conjunctione quadam inter ſe contineri dicuntur: illa cum ab eodem loco, & ſpatio disjungi nequeunt; hæc cum eumdem a natura ſortiuntur finem; ubi enim finis, ibi requies: finis idem, eadem ſimul requies; Ut entia habeant eamdem requiem, opus eſt, ut eodem dirigant actiones ſuas, & eadem ratione, nec in actionum directione ſalva naturali lege disjungi queant.

(2) Sicut appetitus Felicitatis oritur ex interiori parte hominis, & progreditur inde in omnes ſuperiores ſimul, & inferiores facultates, ut homo non ſolum e penitiori ſui principio ſentiat ſtimulos, appetitionemque felicitatis, ſed experiatur permeantem, & fuſam in omnes partes, & facultates: ita quoque non ſolum in hominis intimo ſentiendum eſt Vinculum, & vis Religionis; ſed quævis facultas, & ap-

pe-

Digitized by Google

D. Nil tam homini intrinſecum, quam tendere ad Deum ex §. 14. Hæc tendentia naturalis eſt Conjunctio voluntatis humanæ cum voluntate divina ex §. 16, 17, 18. Naturalis conjunctio voluntatis humanæ cum voluntate divina dicitur

petitus, niſi eam voluptas corrumpat, & commixtio ſenſibilium, conſuetudoque præpoſtera, ac frequens materialium rerum ordinem rectum, & naturalem ſeriem intervertat, docebit plane legitimum, commodioremque ſui uſum eſſe officium, & munia Religionis. Anima eſt derivatio primi eſſe, ut cum Divo Thoma, & omnibus primi ævi Patribus docet Psychologia Rationalis: cumque a primo Ente participet ſuum eſſe, ab eodem in ipſam emanat deſiderium Felicitatis. Mens, ut ſimplicior, & prima participatio primi Eſſe, conſtituit interiorem hominis partem, & in ea, quippe cui ſubeſt Deus, ſimpliciores moventur, vividioresque ſtimuli Religionis. Quævis autem alia facultas, ut oritur e mente, ſic trahit cum mente deſiderium felicitatis, & cum eo ſtimulum Religionis. Quo magis Mens profertur, & progreditur in facultates, eo multiplicioribus diminuitur limitibus, & in materia magis, & cum materia commiſcetur, ac veluti perit. Itaque minus eſt de primo Eſſe. Ubi minus eſt Eſſe, minor eſt ſenſus, & aculeus Religionis. Omnes vero facultates, ſi bene inſpicimus, ut appetunt felicitatem, & ad eam tendunt, ſic nos ad Religionem movent, & ad conjunctionem cum Deo, qui eſt felicitas noſtra: Diſſimulare Religionem, premere illius & vim, & vocem, eſt non modo intimam noſtri partem, ſed totam etiam premere, & diſſimulare naturam cum omnibus partibus, & facultatibus. Non agi ſtimulis, & ignibus Religionis, eamque putare commentum ad comprimendos populos, indicium eſt tardæ, & inolitæ cum ſenſibilibus mentis, atque in materia cum omnibus facultatibus pene perditæ. Sicut, cum quis Deum negat, oſtendit cor cæcum ex Theologia Naturali, & Psychologia; ita cum non alit, & fovet ſenſum Religionis, indicio eſt cor ejus ſtupere, & veluti obſurduiſſe deſiderio felicitatis, poſtquam eam locavit in ſenſibilibus, ubi quieſcit, & dormit. Si movetur quidem, ſed leviter, argumento eſt, mentem cæcutientem in tenebris ſenſibilium non intelligere, in infinito eſſe reperiendam felicitatem. Illa quidem ſi in ſimplicitate maneret ſua, & eo loco, quo eſt a Deo conſtituta, cum ſit prima, & propior Deo facultas, ubi ad eum ſe verteret, apud ſe haberet, ubi quieſceret. Sed cum ab eo deſcendat in creaturas, oppoſitas e regione, & ſumme diſſitas; neſcit inter multitudinem, & compoſitionem quieſcere, niſi longo uſu, veluti ſomno, guſtum veræ Felicitatis amiſerit.

Digitized by Google

Religio ex §. 1. & 18. ergo nil tam homini intrinſecum, quam Religio.

§. 22. Natura tendimus ad Cognitionem Dei.

D. Natura tendimus ad Deum; quia natura tendimus ad felicitatem ex §. 14. felicitas eſt voluptas ſola &c. ex §. 7. Voluptas haberi nequit ſine cognitione ex §. 3. ergo natura tendimus ad cognitionem Dei.

§. 23. Qui nullam Dei cognitionem habere ſtudet, contra naturam agit.

D. Natura tendimus ad cognitionem Dei ex §. 22. ergo qui nullam Dei cognitionem habere ſtudet, contra naturam agit.

§. 24. Atheus alius eſt, qui Deum exiſtere mordicus negat; alius, qui nullam Dei cognitionem habere ſtudet (1).

§ 25.

---

(1) Duo genera poſſumus Atheorum diſtinguere; quorum unum omnino negant exiſtere Deum, & ad ſedandos conſcientiæ morſus ſtudent, atque nituntur argumenta congerere, ut ſibi ſuadeant Deum nullum eſſe; & ut excuſationem impietatis ſuæ apud alios habeant, venditant, nequaquam eſſe juxta naturæ vocem, nec congruam legibus rationis exiſtentiam Dei; præjudicium potius eſſe, quod per educationem ebibimus, quod fovere, ac tueri Politicorum intereſt ad continendos populos, quos dominandi ſtudium ſibi ſubjecit; quorum libertatem, commodaque ſuis plane ambitionibus addixerunt; quorum vita in bellis ad privata conſilia, bonis, atque laboribus in pace ad vitam in deliciis agendam abutuntur. Aliud vero genus illorum eſt, quos inter Epicurei omnes, & Ethnici, qui nec ullam habent cognitionem veri Numinis, quaſi nihil interſit, omnemque cogitationem, & laborem omnem ad aurum, ad opes, ad voluptates conferunt, quorum appetitus, atque inordinata inquiſitio ad negligendam veri Numinis ideam recta ducit corda hominum, uſque etiam ad faſtidiendos illos, qui Dei memoriam excitent. Unde Stafferus Inſtitutionum Theologiæ Polemicæ t. 2. c. 6. §. 3. de Atheismo hæc habet: *Tota hæc diſquiſitio ad duo referri poteſt; primum hoc eſt, an reperiantur, qui nullum umquam Numinis ſenſum habuerint, aut qui, de Deo inſtituti, eo relapſi ſunt, ut nullum Numen exiſtere abſque ullo conſcientiæ morſu firmiſſime credant? Alterum an tales exiſtant, qui ad conſcientiæ morſus ſedandos argumenta undequaque conquirant, quibus Entis perfectiſſimi, & juſtiſſimi exiſtentiam impugnare poſſint, quique conſcientiæ ſuæ dictamen eo uſque ſufflaminant,*

ut

Digitized by Google

§. 25. Atheus contra Naturam agit.

D. Qui nullam Dei cognitionem habere ſtudet, contra naturam agit ex §. 23. Atheus eſt, qui nullam Dei cognitionem habere ſtudet ex 2. parte §. 24. ergo Atheus contra naturam agit.

§. 26. Actio illa humana, qua tendimus in Deum, dicitur Bonum Morale.

§. 27. Actio illa humana, qua recedimus a Deo, & accedimus ad creaturas, dicitur Malum Morale.

§. 28. Bonum Morale a Natura volitum, Malum vero contra naturam.

D. Nil tam voluntati humanæ intrinſecum, quam tendere ad Deum ex §. 16. Actio humana, qua tendimus ad Deum, dicitur Bonum Morale ex §. 26. Bonum ergo Mora-

---

ut ſaltem de pretioſiſſima hac veritate dubitent. Hos refellere Theologorum eſt. Cum enim perſuadere aliis ſtudeant non eſſe Deum, nec ejus exiſtentiam legitimum conſectarium eſſe, quod ex naturæ principiis educi poſſit, & viſceribus; munus Theologi Naturalis eſt, omni ſtudio, & vi argumentorum ejuſmodi mendacium, ac rationum infirmitatem aperire, & evincere perfectiſſimi Numinis admittendam neceſſariam exiſtentiam ab iis, qui lumine rationis ducuntur: aliorum autem impugnatio pertinet ad illos, qui Religionem Naturalem profitentur: nam eorum officium eſt docere, ſummi, verique Numinis cognitionem eſſe omnibus neceſſariam, magni ponderis maximique momenti; Et huic non incumbere, idem eſſe ac vim & impetum tardare naturæ, quæ ex ſe tendit ad Dei cognitionem, ut ſibi ſuam inveniat beatitudinem, quam unam, ex omnibus facultatibus natura appetit. Vanum proinde, falſumque eſſe, quod hi homines aſſeverant, moleſtiam ſe pati nullam, nullaque premi ſollicitudine, quod ſummum Deum non quærant, & ſummi, perfectiſſimique Numinis cognitionem nullam habeant; natura enim humana omnis, & cum omni ſua vi ſemper fertur ad acquirendam felicitatem; quapropter ſicut memoratus Stafferus, qui ſolam Theologiam ſibi propoſuerat tractandam, & non Religionem, inquit, ſibi rem non eſſe cum primis, *prius diſquirere inſtitutum noſtrum non poſtulat*; ita nos, qui Naturalem ſolum Religionem, & non Theologiam aſſumpſimus exponendam, hoc ſolum agemus, ut primum genus hominum aut ad bonam frugem argumentis evidentiſſimis perducamus, aut ſaltem, ut ex ſomno ſe moveant, enitamur.

Digitized by Google

rale a natura volitum. Natura cum voluntate humana tendunt ad Deum; ergo actio humana, qua recedimus a Deo, eſt Malum Morale ex §. 27. ergo Malum Morale eſt contra naturam.

§. 29. Exequi Bonum Morale idem eſt, ac accedere ad felicitatem.

D. Bonum Morale eſt actio humana, qua accedimus ad Deum ex §. 26. Deus eſt objectum noſtræ felicitatis ex §. 13. ergo accedere ad Deum idem eſt, ac accedere ad noſtram felicitatem; ergo exequi, vel procurare Bonum Morale; idem eſt, ac accedere ad noſtram felicitatem.

§. 30. Malum Morale exequi idem eſt, ac recedere a Felicitate (1).

D. Ma-

---

(1) **Multæ ſunt rationes**, quibus Naturaliſtæ exiſtentiam Boni; & Mali, ſeu Peccati, & diſcrimen a Bono, Maloque phyſico demonſtraſſe arbitrantur. Bonum eſſe, Malumque phyſicum exiſtere in liberis actionibus de ſe clarum, & conceſſum ab omnibus: aut enim actio libera congruit fini naturæ, & tunc bona, quia naturam perficit; aut contra, & tunc mala, quia deteriorem reddit. Ejuſmodi autem eſt Bonum, vel Malum phyſicum, ac ſi quando regionis alicujus, aut plagæ aeris actio mechanici noſtri corporis motibus congruit, & opem affert, ut fluidum æque libratum ſe ſervet, ac reſpondentia fluidorum quantitati, ſolidorum robur, & vim elaſticam tuetur; contra cum non conducit, aut agit contra naturam corporis noſtri, dicitur Malum: non ſecus voluntas, cum agit, uti jubet, atque oſtendit ratio, rationalem naturam perficit, ſi contra, deteriorem reddit. An autem præter hoc phyſicum Bonum, & Malum, ſit etiam Bonum, & Malum morale; quid hoc addat phyſico, & in quo ejus natura conſiſtat, fuit ſemper id, quod Religionis Sectatores ab oppugnatoribus diviſit. Sunt qui eſſe Moralitatem in libera actione præter Bonum, & Malum phyſicum deducunt ex Voluntate Dei, cui placuit, ut quiſque in actionibus ſuis liberis illud ſequatur, quod jubet ratio; & propterea, qui hoc implet, præmium, qui contra, pœnam ajunt promereri, tamquam Dei, qui ſupremus eſt Dominus, voluntati vel obſequens, vel repugnans: quemadmodum Legislatores, & ſupremi Magiſtratus, quicumque legem non occidendi, vel non prædandi per campos violent, mortem iis denuntiant. Eſſe poſſe locum præmio, pœnæque in hac vita,

vel

D. Malum Morale eſt actio humana, qua recedimus a Deo ex §. 27. Deus eſt objectum noſtræ felicitatis ex §. 13. ergo Malum Morale exequi idem eſt, ac recedere a felicitate.

CA-

vel poſt mortem, præſertim cum ſit anima æterna, non nego equidem; ſed, ſepoſita revelatione, cui non eſt locus in Jure Naturali, utrum vere Deus hanc pœnam, præmiumque inſtituerit, & quanta ſit, opinor, neminem ſatis oſtendiſſe ratione naturali. Si præmium e medio, pœnamque auferimus; quid erit amplius hæc Voluntas Dei præter eam legem, qua jubet, ut omnes res phyſice tendant ad ſuum Finem? Cæterum numquam in meis quibuſcumque meditationibus exponendis propoſitum habui cum aliquo pugnare. Quapropter & hujus argumenti, & aliorum plurimorum, ut mihi videtur, infirmitatem aperire prætermitto, innuiſſe ſat habens; idque eo magis, quod ſi aliarum ſententiarum imbecillitatem in apertum producere vellem, eſſem nimis longus, quod utique non eſt harum inſtitutionum. Nec præterea decet honeſtum hominem iis adverſari, & infeſtum ſe oſtendere, qui eamdem cauſam ſuſceperunt ad defenſionem Religionis, & eumdem nobiſcum habuere finem, & æque ſunt de Religione promeriti: non enim ab exitu de Auctoris merito, atque intentione judicandum.

Sunt qui Bonum, & Malum morale in actionibus liberis in hoc ipſo ſitum eſſe putent, quod pugnent, vel congruant fini, ad quem eas natura dirigit. Alii in hac intima congruentia Bonum, & Malum intrinſecum, & præterea in lege impoſita per Dei Voluntatem, quod idem eſt, ac connexio motivi externi cum interna obligatione; & recidit fere in idem, de quo ſupra diximus: & quidam naturæ leges animadvertiſſe contenti, in iis ipſis Bonum, & Malum clauſum eſſe pro certo ponunt. Conſulite, ſi placet, harum ſententiarum auctores Grotium, Puffendorſium, Heineccium, Wolfium, & in ipſis ſtatim liminibus has diſtinctius reperietis ſententias.

Meo quidem judicio, Bonum, & Malum morale nihil eſt aliud, quam ipſa actio phyſica voluntatis, quæ cum agit juxta Naturam, in hac ipſa actione præter phyſicam perfectionem, aut imperfectionem, reperit Felicitatem, vel infelicitatem. Præmium, aut pœna non ſunt quid ſejunctum, aut diſtinctum ab ipſa operatione animæ. Anima immortalis cum agit bene, & juxta Naturam, in hoc ipſo habet, & acquirit, accedit ſenſim, & paulatim ingreditur in objectum ſuæ Felicitatis, ut fuſius in Officiis erga nos ipſos obſervabimus; ficuti, cum agit male, phyſice recedit, & præcludit ſibi iter per ulteriores limites, & intermiſſionem creaturarum, ad ſuam felicitatem. Anima ſibi ipſa præ-

mium,

Digitized by Google

CAPUT II.

De rerum Divinarum Meditatione.

§. 31. Cognitio rerum Spiritalium, & Abſtractarum in moralibus dicitur Contemplatio, in Pſychologicis dicitur Abſtractio.

§. 32.

---

mium, aut pœnam conſtituit. Deus quemadmodum creatis rebus in ſua creatione nec potuit, nec ſcivit aliud communicare, niſi perfectiones; (Imperfectiones a ſua natura quiſque habet, ſive a nihilo, unde trahit originem, vel a voluntate propria; plus enim, vel minus perfectionis communicare poteſt Deus, imperfectionem numquam:) ita nec pœnam ipſe immediate poteſt impertiri: Boni eſt Deus, non Mali cauſa, fons, & origo. Malum habet deficientem, non efficientem cauſam, ut Patrum verbis utar. Ignis tormentorum de medio noſtri educitur, & e ſinu creaturæ. Si Deus umquam vindex perhibetur, in hoc ſita eſt ejus ultio, ac vindicta, quod ſtet procul a nobis, quoniam nos eum a nobis amovimus ipſi terga vertentes. Quod ſi ipſemet dicitur educere hunc ignem de medio noſtri; educit ſe continens, & ſtans procul a nobis; &, quæ vulgo adhibentur loquendi formulæ, ſunt effectui potius, quam affectui tribuendæ: neque enim in Deo dari poteſt affectus triſtis, nec ulla ira, & indignatio: neſcit Deus odiſſe aliquid eorum, quæ fecit: imo ſicut ipſe nihil communicat imperfectionis, ſed quod participatur ex ipſo primo Ente, poſitivum, ac perfectio eſt; ita nec poteſt opus ſuum odio inſectari, imo debet amore proſequi neceſſario. Si enim creaturas odit, ſeipſum odit; & cum amat ſuum opus, amat in eo ſeipſum, ac ſuas perfectiones. Peccatum tantum odiſſe poteſt Deus, quod carentia eſt, & imperfectio, ac proinde ab ipſo originem minime ducens. Creatura quemadmodum ex nihilo educta natura fert ſecum imperfectionem, ita per voluntatem poteſt huic addere cumulum imperfectioni, poteſt eam facere ſibi majorem. Natura libera ideo peccare poteſt, quia limitibus, & finibus circumſcripta. Infinitum, & illimitatum peccare non poteſt. Naturalis imperfectio ferre poteſt ſecum poſſibilitatem peccandi. Quapropter per peccatum etiam atque etiam habet nihilum, ſed potius nihilo, unde educta eſt, creatura appropinquat quam maxime. *Ad nihilum redactus ſum & neſcivi*. Habet per peccatum nihilum natura rationalis, non ſolum quia exceſſit Spiritus Sanctus, & cum omnibus ejus donis amiſſa eſt omnium communicatio

gra-

Digitized by Google

§. 32. Ad abſtractionem, ac proinde ad contemplationem pervenire nemo poteſt, niſi per attentionem, & reflexionem, quæ vulgo Meditatio appellatur.

§. 33.

---

gratiarum; non enim eſt hic locus de donis ſupra naturam poſitis agere: ſed, quod pluris eſt, hebeſcit, & minuitur ad nihilum uſque Intellectus. Intellectus, per quem homo proprie ſecernitur a bruto, non quem vulgo appellant Rationem, ſed, ut Jamblicus ait, penitiſſimus cum Deo tactus, amittitur, ſcilicet ſenſus divinitatis: ita per bona opera perficitur magis, & limitibus exuitur, & ſe erigit in id, quod ſubeſt limitibus, uſque dum in Deum, unde exiit, regrediatur denuo, & quieſcat. Procul a Deo cum minus in ſe videat perfectionis, minus perfectionis in iis, quæ amplexus eſt; ſi cum infinita perfectione, quam ſponte perdidit, comparantur, quia *hæret extremis*, ut cum Auguſtino loquar, nihil aliud reperire poteſt, niſi ſummum tædium, ac moleſtiam: & ſicut ipſa ultro cecidit, receſſit a Deo, devinxit ſe creaturis, ita ipſa ſupplicium ſibi ſtruxit, & dolorem.

Sed principio advertendum unum dari in nobis affectum, nimirum Voluptatem tantum; & ex objectorum varietate, & varia, qua opponuntur, ratione, diverſa nomina hic ſumit affectus. Tædium habet in ea ortum, & eſt relatio ipſius. Cum ex majori perfectione, quam amiſimus, fit tranſitus ad contemplationem minoris perfectionis; tunc Tædium oritur. Cum ex iis, quæ guſtum magis oblectant, ad ea, quæ minus, fit tranſitus; non percipitur Voluptas, ſed dicitur Tædium; Contra, cum ex iis, quæ minus, ad ea, quæ magis ſapiunt; excitatur Voluptas. Micæ de menſa, quæ Lazaro eſſent ſolatio, & voluptati, tædio ſunt, & faſtidio Epuloni: & ratio eſt; quia quiſque dum objectum videt, Ens aliquod videre debet: imperfectiones ſunt carentia: ſi ergo Ens, perfectionem; ſi perfectionem, Voluptatem percipere debet. Major igitur dari poteſt, aut minor Voluptas in contemplatione Entium, quæ ex diverſo gradu diverſum nomen aſſumit, & ex diverſa objectorum varietate. Si ex minori perfectione progredimur ad majorem contemplandam; appellamus Voluptatem: ſi ex majori, quam amiſimus, ad minorem; Tædium. Sic de Calore dicimus, & Frigore. In natura non datur, nec dari poteſt niſi Calor; Frigus ex relatione inter majorem, & minorem calorem oritur: corpora, quæ Frigori, & Calori ſunt obnoxia, ſunt viventia: ſi viventia, ergo in iis dari debet motus; ſi motus, ergo ſemper Calor. Frigus ergo, & Calor ex tranſitu minoris ad majus, aut majoris ad minus exiſtunt. Ita de Voluptate, & Tædio. Homo per peccatum ſejungit a Deo, Infinito Ente, voluntatem ſuam; & cum ea omnes facultates

Digitized by Google

§. 33. Niſi prius aliquid vel aure audierimus, vel oculis legerimus, vel quocumque ſenſu obſervaverimus; non poteſt dari perceptio, ac proinde attentio, & conſequenter Meditatio (1).

§. 34.

---

tum ſuperiores, cum inferiores, & illigat creaturis; imo non cum creaturis, ſed cum extima, & ſumma facie creaturarum: Deus enim non in exteriori creaturarum ſpecie, ſed in interiori parte, ſinuque latet penitiſſimo; quippe qui creatis omnibus ſubeſt, in eoque tamquam ſolo vero Eſſe contingentia innituntur, atque ſubſiſtunt. Dionyſ. l. de Div. Nomin. *Ipſe eſt Eſſe iis, qui ſunt.* Clemens Alex. l. 1. Pædagogi c. 8. Nomen illud ὁ ὢν ideo Dei maxime eſſe proprium putat: *Quoniam illum exprimit, qui revera ſolus eſt.* Auguſt. in brevi, quem habet, Tractatu in illum Exodi locum; *Ego ſum qui ſum*: Quid eſt, quod eſt? Quod æternum eſt. Bern. l. de Conſil. c. 6. *Quid eſt Deus? Sine quo nihil eſt. Tam nihil eſſe ſine ipſo, quam nec ipſe ſine ſe poteſt. Ipſe ſibi, ipſe omnibus eſt: ac per hoc quodammodo ſolus eſt ipſe, qui ſuum ipſius eſt, & omnium Eſſe*, & ſerm. 31. in Cant. *Contingentia tranſitum ſane habent per Eſt; ſed omnino non ſunt. Quomodo enim eſt, quod numquam in eodem ſtatu permanet.* S. Th. 1. p. q. 44. a. 1. c. *Omnia alia a Deo non ſunt ſuum eſſe, ſed participant Eſſe.* Qui hanc in rem plura deſiderat, adeat Petavium toto ferme Theol. Dogm. Libro 1. Redeamus jam, unde parumper abſceſſimus. Creatura ergo, cum bene agit, accedit magis Deo, magis erigitur in originem, & fontem entium juxta progreſſum in intima. Quemadmodum autem ex comparatione bonorum finitorum cum Deo, qui eſt Ens Infinitum, perennem percipere debet Voluptatem; ita, cum ſe videt procul a Deo, unde agnoſcit originem, extrema omnia ferre debet, & ſummos dolores, præſertim cum ordo creaturarum, & Cauſarum, ut ajunt, ſecundarum per mortem, & translationem animæ ad mundum intelligibilem, diſſolvatur. Siqua voluptas ex adhæſione ad creaturas oriri poterat, & animam varietate, & ſucceſſione occupaverat, & a ſeipſa abalienaverat, evaneſcit. Hinc confuſio, & horror, & nullus in æternum ordo ineſſe ibi debet. Quomodo vero hæc confuſio, & horror, unde pertinacia voluntatis, & ablata per conſequens bene agendi facultas in æternum oriatur; pſychologice in meis Theologicis diſputationibus explicabo commodius, & opportunius.

(1) Nihil novi ſtatuimus in his propoſitionibus, quod non ſit communiter definitum ab omnibus Logicam, & Pſychologiam Empiricam profitentibus; ſeu verius, quod non animadverterint omnes Pſycho-

§. 34. Natura tendimus ad contemplationem Dei.

D. Natura tendimus ad cognitionem Dei, ex §. 22.; Deus eſt Ens ſpirituale, & ſimplex ex Theologia naturali; cognitio rerum ſpiritualium in moralibus dicitur contemplatio ex §. 31. Ergo natura tendimus ad Contemplationem Dei.

§. 35. Natura tenemur meditari ea, quæ Dei ſunt.

D. Natura tendimus ad Contemplationem Dei ex §. præcedenti; Contemplatio haberi nequit niſi media Attentione, & Reflexione &c. quæ Meditatio dicitur ex §. 32. Ergo natura tenemur Meditari ea, quæ Dei ſunt.

---

chologici, & Logici in omnibus operationibus intellectus. Omnes enim tum in Logica, tum in Pſychologia perſpectum habent hanc rationem in cogitationibus efformandis, quas vocant operationes intellectus, ab anima teneri. Primum opus eſt, ut objectum externum inducat mutationem in organa ſenſoria, in viſum, in aures &c. Hinc animæ objicitur Idea, utcumque id fiat; quam cum anima apprehendit, ſimplex Perceptio, vel Apprehenſio ſimplex, ut vulgo dicitur, oritur. Si ſuper hanc defigit aciem, ſive, ut melius dicam, hæret, & in intuitu perſeverat; fit prius clara Idea, poſtea diſtincta: prima dicitur Attentio, ſecunda Analyſis. Si videat aliquas, aut pene omnes notas ſimiles notis alterius objecti per ſenſus habiti, & nectit illas; tunc oritur Judicium. At, cum ſolum inſiſtit in notis ipſius objecti, aut duorum, vel plurium objectorum ſimilium, negligens illas, quæ ſunt diſſimiles; jam abſtrahere incipit, & objicere ſibi minus compoſitam ideam, quæ Species dicitur, aut Genus. Si ulterius progreditur, Abſtractio. Vocatur autem hujuſmodi mentis operatio Abſtractio; quia jam anima, cum res ita videt, ſegregatur a ſenſu, nec ita eas intuetur, ut per ſenſus feruntur; tunc enim deberet videre cum omnibus modis, & notis, quibus re unum differt ab altero. Quibus poſitis, quo magis idea per ſenſus habita denudatur, & exuitur notis, ſive ut æqualis fiat alteri objecto, unde ideæ generum, & ſpecierum exiſtunt; ſive ut magis per analyſim reſolvatur; eo ſane evadit ſimplicior. Non eſt hujus loci quærere, qua ratione intellectus poſſit ex ſe ad ideas objectorum veras, & ſimplices progredi; & an hæc idea vere ſimplex oriatur ex ipſa idea ſenſibili, defæcante anima vi ſui luminis inolitam ibi materiam, ut ajunt quidam Influxioniſtæ; an vero Deus occaſione habita per ideam materialem, poſt Attentionem, Reflexionemque habitam, excitet ipſe ſimplicem in anima ideam; aut omnia fiant per Harmoniam inter animam & corpus. Utcumque ea fiant, certum tamen eſt, & extra

quæ-

Digitized by Google

§. 36. Natura tenemur Legere, Audire, & Excipere ea ſenſibus, ex quorum Meditatione Contemplatio Dei habeatur.

D. Natura tendimus ad Contemplationem Dei ex §. 34. Contemplatio ſine Meditatione haberi nequit ex §. 32. Nec Meditatio ſine ideis materialibus ex §. 33. Ergo natura tenemur Legere, Audire, Excipere ſenſibus ea, ex quorum Meditatione Contemplatio Dei habeatur (1).

§. 37.

---

quæſtionem poſitum ſine idea materiali, ſine pluries iterata Attentione & Reflexione, rerum ſimplicium ideam puram, abſtractamque non dari, quæcumque ſit cauſa. Certum, inquam, & extra dubitationem eſt apud omnes, quia conſtanti patet experientia: alia eſt enim Pſychologia Empirica, alia Rationalis: illa verſatur in eo, quod experimur; hæc vero eorum, quæ experimur, ſcrutatur cauſam. Agitantur in hac quæſtiones, in illa non item. Hæc nota ſunt Logicis: ſunt generalia principia omnibus nota; a me autem hic adducta, ut a genere ad ſpeciem tranſeamus. Nam, cum verum ſit omnem abſtractam, & rerum ſimplicium ideam haberi non poſſe juxta Pſychologicas leges, niſi prius occaſio e ſenſibus orta ſit, & niſi præterea Meditationi inſtiterimus; & cum idea Dei eſſe debeat aut ex ſe, aut relate ad nos, abſtracta, & ſimplex; eruimus, non poſſe ſine ope ſenſuum, & Meditationis haberi.

(1) Quodlibet objectum ſenſibile natura ſua ducit ad cognitionem Dei. Satis eſt ad floſculum, ad rem quantulamcumque attendere, ut par eſt, & in ea defigere mentis aciem, quo recta via ad nobiliorem, perfectioremque Dei cognitionem veniamus. Imo equidem arbitror, ni mea me opinio fallit, in Philoſophicis meis Inſtitutionibus demonſtraſſe, nullius creatæ rei poſſe veram acquiri ideam, niſi prius Dei idea legatur in illa, & reperiatur ſaltem aliquod Dei Creatoris participatum Attributum; & hinc ortum, eſſentias rerum adhuc evolvi non potuiſſe a Philoſophis recentioribus; prius enim ideas earum veras habere contendunt, quam Deum in ipſis & perſcrutentur, & videant. Sane omnia creata ſunt, quod ad cognitionem ſpectat, ut recto itinere nos ducant ad cognoſcendum Deum, & quæ Dei ſunt; quod vero attinet ad voluntatem, ut vires, atque levamen adjiciant ipſi ad quærendum Deum, felicitatemque ſuam. Et optime quidem ita natura comparatum eſt, ut Voluntas, quæ non eſt niſi una, diverſas exerceat functiones circa objecta materialia; quo ſcilicet ab omnibus vim, atque robur acquirat. Ex cibo etenim, experientia teſte, ex viſu, & reli-

Digitized by Google

reliquis anima, ſi deficiat, & laborem refugiat, ſumit denuo vires ad proſequendum iter: ſicut etiam Cognitio diverſis eſt addicta muneribus, quæ vulgo dicuntur facultates partiales, ut in quocumque illorum uſu habeat aliquid, unde ſenſim, ac per gradus feratur ad cognoſcendum Deum: habet ſenſum, ut hic materialem adipiſcatur ideam, ſine qua nulla datur Apprehenſio: habet inſuper Attendendi facultatem; quia ſine hac ferre Judicium non poſſumus: Judicio utitur, ut tranſeat ad Reflexionem: Reflexione, ut tandem educat veram rerum, & primam rationem; quæ cum ſit Deus, ne longius protraham rem fuſius infra exponendam, apparet, quod ad id tendit unice Cognitio, ut, ſervato naturali ordine in functionibus ſuis exercendis, omnibus ſuis facultatibus aſſequatur Deum. Qui ergo tantum hæret in prima Cognitionis functione, ſcilicet in Senſatione, ibique quieſcit, vel in Attentione tantum; naturalem ordinem abrumpit. Poterat quidem Deus ita Cognitionem conſtituere, ut ſtatim, & ſine labore eum attingeret, nullum in cognoſcendo ordinem, & ſucceſſionem conſtituendo: nihilominus voluit facultatem Cognoſcitivam adnectere ita per gradus, & adſtringere minoribus facultatibus ad aſſequendum finem, ſeu cognoſcendam veram omnium rationem, ut eo procedat ordine, quo natura omnis in cunctis procedit; unde Ordo dicitur Naturæ hic mundus adſpectabilis; & ſic anima non omnino torpeat, nec nullo peracto labore, nulloque ſuo merito mercede potiatur, ſed potius poſt rectum ſuarum facultatum uſum, poſtquam naturalem ordinem, & legem ſervaverit, poſtquam operam omnem poſuerit in Deo cognoſcendo, atque ſtudium; ita tandem Deo frui, tamquam debito ſuis laboribus præmio mereatur. Poſſem hic ſeriem illam, qua Facultates potentiæ Volitivæ non minus, ac Cognoſcitivæ, ducunt nos ad Deum, exponere, ut tandem pateret mirabilis naturæ ordo, & quomodo omnia ad Dei gloriam cognoſcendam ſunt e nihilo educta: tamen libenter omitto, cum de his in Pſychologia ſatis copioſe, & opportunius ſermo inſtituatur; & infra, ubi de Cultu Mentis, in Secunda parte redibit ſermo. Omne ergo objectum natura ſua nos ducit ad Cognitionem Dei; ſicut & facultas Cognoſcitiva non ad aliud tendit, niſi ad Cognitionem Dei, ſi ſuis facultatibus partialibus recte utatur, & juxta naturalem ordinem ex una in aliam, quin labore, ac tædio feſſa hæreat, progrediatur. Sed homo depravatam naturæ corruptæ propenſionem ſequens in perceptione rerum externarum, non ſolet ultra provehi; quieſcitque ſolum in illa voluptate, quam aut in guſtu, aut in oculis objectum creat, aut ſaltem ſuper eadem objecta tantum Attentionem ſuam, & Judicium exercet; nec ultra ad abſtrahendam rerum veram rationem procedit. In Phantaſia enim, quæ utcumque id fiat, eſt veluti diverſorium externarum mutationum, ſive idearum, nihil aliud inhabitat niſi ſaporum,

CAPUT III.

De neceſſitate inferiori Parti vim inferendi, ut Lex Naturalis impleatur.

§. 37. NAtura humana proclivior eſt in percipienda re materiali, quam abſtracta, & ſpirituali: imo nec ſine vi ad abſtracta, & ſpiritualia cognitionem revocat, ibique eam defigit (1).

§. 38.

rum, honorum, & ſenſibilium ideæ, quæ vinculo quodam, & affinitate inter ſe continentur. Hinc eſt; quod ſi quandoque ſuper objecta Meditetur, & Reflexionem adhibeat anima; tantum abeſt, ut Dei, qui ſubeſt objecto cuicumque, idea excitetur, (quæ excitari deberet, ſi ſequeretur iter, quod natura demonſtrat, & facultates dirigeret, quo natura diriguntur;) quin potius ideæ voluptatum, honorum, & ſaporum ſurgant: atque ita corrupta, & inverſa imaginationis lege, non alia fere judicia, non aliæ ſunt cogitationes hominum, quam fluxæ & fallaces. Imo ex hoc vitio, & confuſione Phantaſiæ factum eſt, ut objecta quamplurima ſint fere inepta ad movendam Dei ideam; non quidem natura ſua; ſed quia, cum noſtræ inclinationis pravitas Attentionem debitam non poſuerit, rectum Judicium non ediderit ab initio; ita deinceps cum alienis ideis objecta illa ſe miſcent, & implicant in Phantaſia, ut exurgant ſtatim cum eis, mentemque a recta Reflexione vi ſua detrahant, atque deducant. Quapropter Aſcetæ, ſive qui ſtudent atque exercent ſe in inquirenda felicitate, nempe Deo, neceſſitatem objectorum materialium agnoſcentes, ut ex iis ſenſim ad contemplationem evehantur, non quælibet objecta, ſaltem ab initio, ſed ea tantum legunt, atque audiunt, quæ de Deo immediate loquuntur, vel diſſerunt: & propterea, poſita corruptione naturæ, ſpiritalibus vacare Libris, Catecheſes, Concioneſque ſacras, & alia hujuſmodi auribus excipere neceſſarium eſt, ut expeditiores, alacrioreſque, juxta naturalem ordinem, ac legem, Felicitatem noſtram conſequamur.

(1) Duo ſunt, quæ ſicut rerum ſpiritualium, & abſtractarum cognitionem impediunt; ita facilem, expeditamque reddunt cognitionem rerum materialium. Et primo feriunt objecta materialia ſenſus noſtros, & actione ſua ad ſe vocant ſpiritus animales, noſtræ cognitionis miniſtros;

Digitized by Google

ſtros; quo fit, ut anima vim ſibi ferre non ſolum non debeat, imo nec ejus opera, & adjumento ſit opus, ut ad ſenſibilia objecta cognitio accurrat; ſed potius laborandum ſit, ſi velit ab illis hanc cognitionem avertere. Secundo naſcimur imbecilles, & cognitionem noſtram, ſive ſpiritus animales ejus miniſtros in aliquam viam dirigere, & flectere ipſi non poſſumus, nec ſcimus. Porro ſpiritus animales dum in hoc mundo ſumus, eſſe debere noſtræ cognitionis miniſtros, & quo puriores, tenuioreſque ſunt, eo vividiorem, purioremque cognitionem eſſe, quo minus puri, & torpentes, eo minus puram, atque ubi deficiunt, ibi etiam cognitionem deficere, ſatis in Pſychologia Empirica & certum, & exploratum eſt, omiſſo quid in ſe ſint, & cur anima debeat illis uti ad cognoſcendum; Hinc eſt, quod ſola objecta materialia, quibus undique ſepti ſumus, & circumdati, ſola, inquam, & frequenter, & ad ſuum arbitrium attrahunt ad ſe attentionem animæ, & ſemper in ſeipſis implicatam detinent: unde anima, nihil tale advertens, poſt longum tempus, poſt plurium annorum ſpatium in ſe reperit quemdam habitum, & promptitudinem, inclinationemque currendi ad materialia objecta, obſeſſumque reperit, & veluti obſtructum iter in illas partes, per quas ad Reflexionem, Ratiocinationem, & præcipue Contemplationem progredimur. His omnibus accedit conſuetudo peſſima, qua Parentes edocent pueros, & ii, quibus noſtri demandata cura, qui per objecta materialia ſemper nos ducunt, de his ſemper agunt, de his loquuntur, per hæc nos alliciunt ad eliciendos actus noſtros. Oritur hinc illa difficultas, quam experiuntur impuberes, in attentione, & judicio in ſeipſis excitando, & labor ille, qui eſt a Magiſtris morum, & Præceptoribus adhibendus, ut curent, ne pueri appetitu, vel ſenſu duce, ſed ratione utantur. Quapropter ſicut ab hac conſuetudine, & impreſſionibus rerum externarum, quæ nullo voluntatis, præſertim in pueris, imperio, ſæpe ipſa in vita, trahunt ad ſe per vim, & impreſſionum impetu, cognitionem noſtram, oritur in nobis illa facilitas diſcurrendi per res ſenſibiles, &, ut ita dicam, mergendi nos ipſos in iiſdem; ſic etiam ex deſuetudine, ex vi, quæ inferri debet cognitioni, obſtantibus ſemper, & ad ſe illam rapientibus objectis externis, ut in ſpiritualia, & abſtracta avertatur, oritur in anima difficultas ad horum cognitionem aſſequendam, quæ ideo ſine vi non obtinebitur.

His omnibus accedit, quod anima ex cognitione rerum ſenſibilium, quas ſibi conformes experta fuit, quæ prima ſecundum naturæ ordinem eſſe debet, jam hauſit voluptatem tactus, ſapore, guſtu, olfactu &c. At contra in ſpiritualibus, abſtractiſque rebus, quæ nondum novit, & quorum cognitioni ab ortu per tot annos numquam incubuit, nullam haurire potuit voluptatem; imo nec ſcit, utrum voluptatem in-

§. 38. Vis ſibi ipſi illata dicitur Violentia (1).

§. 39.

---

ingerant, & cujus naturæ, & intentionis ea ſit; quia voluptas ex cognitione oritur; unde eſt, quod piget ab illis rebus excedere, quibus jam aſſuevit, in quibus ſuam ſine magno ſtudio, ac labore reperit dulcedinem, & voluptatem, ut arduum, & numquam ſine vi arripiendum iter proſequatur: & inde apparet, cur anima, niſi ſibi vim inferat, cognitionem, quæ natura ſua quieſcit in voluptate, divellere non poſſit a rebus ſenſibilibus. Ex hac difficultate proſequendi rectum cognoſcendi ordinem, a natura præſcriptum, & rebus ſpiritualibus per Attentionem, Judicium, & Reflexionem aſſiduam incumbendi, & ex facilitate, atque conſuetudine res ſenſibiles intuendi, & contemplandi promanat etiam, quod ſenſu, & ſenſibilibus cauſis agimur faciilime, ratione vero duci ægre patimur. Cum enim Voluntas Moralis agere debeat, prævia cognitione, ipſa primum experitur difficultatem in erigenda cognitione, & facilitas oblectandi ſeipſam in rebus materialibus cauſa eſt cur ſimus in ſenſum proni, & ſenſibilibus libenter adhæreamus. Quapropter, ut infra demonſtrabimus adhibendam nobiſmetipſis violentiam, ut Dei, ejuſque Attributorum Meditatione, & Contemplatione potiamur. Demonſtratum etiam erit adhibendam eſſe violentiam, ut recte, & ſecundum rationem operemur.

(1) Violentiæ nomen varie ſonat apud Latinos. Nunc ſignificat impetum, nunc potentem vim, & vim majorem. Si vero propius etimologiam ſpectemus, ſignificat magis proprie vim illatam contra legem, vel ipſi legi ex verbo *Violo*. Cum autem in methodo ſcientifica neceſſarium ſit figere verborum ſententias, ne ambiguitas inde emanet in conſectaria, & confuſio in lectorum mente excitetur; hinc definire oportuit ideam hujus vocis, in quo & Religionis auctoritati, doctrinæque innixi ſumus, & a proprio Latinorum ſenſu non diſceſſimus. Cum poſcit Naturalis Religio, imo & Chriſtiana, Violentiam, non ea eſt, quæ infertur alteri; hæc enim fere ſemper cum peccato conjungitur; fere ſemper imperfectam arguit actionem: ſed eſt Vis illa, quam ſibi dicitur inferre homo, ut ſuos affectus devincat, & pravam ad opes, ad gloriam, ad ſenſibilia propenſionem; *Regnum Cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud*: Quapropter in Religionis officiis Violentiæ nomen indicat vim ſibimetipſi in parte inferiori adhibitam. In re tam levis momenti, quæ potius ad Grammaticos pertinet, opus non eſt adducere vocis hujus Expoſitores ſacros ad meam ſententiam; multo magis quod, cum Violentiæ nomen pono pro vi ſibi illata, non arbitror nimis a ſenſu penes Latinos proprio deflexiſſe. Nam Violentia oritur a verbo *Violo*, quod idem eſt ac *Vis in Legem*. Cum vero Lex partis in-

Digitized by Google

§. 39. Sine Violentia non poſſumus aſſequi objectum Felicitatis.

D. Objectum Felicitatis eſt Deus ex §. 13. Deus eſt Ens Spirituale ex Theologia Naturali. Entia Spiritualia ſine vi ſibi illata aſſequi non eſt datum animæ ex §.37. Vis ſibi illata eſt Violentia ex §.38. Ergo ſine Violentia non poſſumus aſſequi objectum Felicitatis.

§. 40. Finis, & Felicitas idem ſonant. Unde, cum ſolus Deus poſſit eſſe Felicitas naturæ humanæ ex §. 13., idem ſolus poteſt eſſe Finis (1).

§. 41. Facultates Naturales ſenſibilibus tantum vacare, aut plura ſenſibus haurire, quam neceſſe ſit ad Felicitatem, nempe Deum aſſequendum, eſt contra Naturam.

D. Natura humana non habet alium Finem, niſi Deum ex §. 40. Facultates Naturales eodem determinantur fine,

inferioris humanæ ſit vim nullam ferre, voluptatem ſemper ſectari, ſequitur vim facere ſibi eſſe idem, ac facere contra legem, vel adverſari legi ſenſus, quæ poſt corruptionem Naturæ pugnat adverſus Spiritum. Latini ſcriptores in officiis Religionis penitus, & nitide pertractandis parum curæ collocaverunt, ſive quod nihil iſtorum crediderint, ſive quod unice Reipublicæ dediti, vel honoribus aucupandis, vel voluptatibus, ad hæc minime reſpexerint; & voces propterea unicuique officio Religionis accommodatas non reliquerunt. Hæc quæ dixi, ſatis eſſe benignis Lectoribus arbitror, ad id quoque, ut me excuſent in ſequentibus, & æquo animo ferant, ſi aut verborum circuitum, aut novas etiam voces adhibere neceſſe ſit. Nec mihi profecto, res adeo graves exponenti, fas eſt aut grammaticales quæſtiones inſtituere, aut Latinæ linguæ nitorem, ac luxuriem perſequi.

(1) Satis vulgare, & unicuique notum, Felicitatem, & Finem idem re eſſe: Finis denotat terminum appetituum, & actionum, quo tendunt, & ad quem diriguntur a natura; quo poſtquam pervenerint, quieſcit, & manet natura, cui hæc inſunt, cum non detur amplius quo tendant: Felicitas vero denotat pacem ipſam, & perfectam voluptatem, qua ex aſſecutione Finis natura fruitur, & qua perfundetur. Cum autem hæc duo inter ſe connectantur ita, ut disjungi numquam poſſint; hinc re Finis, & Felicitas idem ſunt, licet voce differant.

quo Natura ipſa, cui inſunt ex §. 15. Ergo Facultates Naturales ſenſibilibus tantum vacare, aut plura ſenſibus haurire, quam neceſſe eſt ad Felicitatem, nempe Deum ex §. 13. aſſequendum, eſt contra Naturam.

§. 42. Tenemur ergo impedire, quominus cognitio noſtra ſenſibilibus tantum vacet, aut ne plura ſenſibus objecta percipiat, quam neceſſe eſt ad Felicitatem, nempe ad aſſequendum Deum ex §. præcedenti.

§. 43. Impedire quominus cognitio noſtra ſenſibilibus tantum vacet, imo ne plura percipiat ſenſibus objecta, quam neceſſe eſt ad Felicitatem, ſeu ad aſſequendum Deum ejus Attributorum meditatione, & contemplatione, dicitur Mortificatio.

§. 44. Tenemur ad Mortificationem.

D. Tenemur impedire, quominus cognitio noſtra ſenſibilibus tantum vacet, imo ne plura percipiat objecta materialia, quam neceſſe eſt ad felicitatem, ſeu ad contemplationem Dei, ejuſque Attributorum aſſequendam ex §. 42. Impedire quominus cognitio noſtra ſenſibilibus tantum vacet, imo ne plura percipiat objecta, quam neceſſe eſt ad contemplationem Dei aſſequendam, dicitur Mortificatio ex §. 43. ergo tenemur ad Mortificationem (1).

§. 45.

(1) Videant hujus ſæculi Novatores, num Aſceteria, quo ſecedebant veteres Anachoretæ, ut curandis unice per vim, ac mortificationem Religionis officiis incumberent, ſicut etiam horum temporum Religioſa loca, inſtituta ad Felicitatem propriam ſecurius, & majori ſtudio comparandam, ſint odio, & horrori Naturæ Rationali, tamquam adverſa ejus legibus, & prementia ejus impulſus. At, quod magis eſt intolerabile, deducunt inde, ut legitimum conſectarium, Religionem Chriſtianam eſſe ſpecioſam ſabulam ad rude vulgus, & nullius ſpiritus animos incurvandos, & proſternendos inventam, dum nil præcipit aliud in Moralibus, niſi genio noſtro obniti, deprimere ſenſus, & cohibere corpus noſtrum: *Si quis vult poſt me venire, abneget ſemetipſum, tollat crucem ſuam, & ſequatur me*; eſſe veram non poſſe Religionem illam, quæ Naturæ ſtimulis adverſetur, ejuſque legibus, nec ſibi aliud proponat, niſi illam frangere, & evertere. Legem porro eſſe admodum claram, & per-

perſpicuam, quamque natura ipſa per ora centum nos doceat, *Perficere* ſcilicet *nos ipſos*: Perfectionem vero conſiſtere in eo, ut facultas quæque ſuum aſſequatur finem: ſicut ergo in nobis diverſas eſſe facultates, diverſa membra, facultatem, & membrum quodque dirigere nos debere ad proprium, immediatumque finem, ut in ejus conſecutione quieſcat: ita viſum, auditum, tactum habere ſua membra, & membrum quodque ſuum finem: hinc Naturæ legem eſſe, dirigere unumquodque eo, quo ſtructura ipſa perducit, & per illud plene nos explere, noſtroſque appetitus.

Ceſſent hujuſmodi Novatores doctrinæ ſuæ profunditatem jactare, illudere novitate dogmatum, & inaudita impudentia vitia extollere, quibus ſemper Natura abhorruit, licet eiſdem nimium ob ſui corruptionem ſit inclinata. Primum omnium falſum eſt, totoque cœlo remotum a veritate, Orationis ſtudium, obligationem inferendi ſibi vim, cohibendi ſenſus, ſuam agnoſcere originem in ſupernaturali Religione Chriſti Domini; non omne id, quod Scripturæ Sanctæ præcipiunt, & in Evangelio. Chriſtus docuit, eſt obligatio ſupernaturalis, & officia tantum ſupernaturalis Religionis complectens. Monet Deus in Scripturis Sacris amandum Proximum: idcircone diligere Proximum eſt obligatio ſupernaturalis, & ſuper leges poſita? Monet inimicos odio minime proſequi: an ideo hæc obligatio a Natura ipſa non deſcendit? Naturaliſtæ deducunt ex principiis Naturæ etiam dilectionem inimicorum. Plurima ſupernaturalis Religio docet, ut hominem excutiat, ut obligationes, quas a Natura ipſa haurit, in mentem revocet, quas ob tenebras menti a peccato offuſas non ſentit amplius in ſeipſa; & ideo mentem excitat nunc lapideis tabulis, nunc monitis, & objurgationibus Prophetarum, nunc verbo, & exemplo ipſa Veritas Chriſtus Dominus. Ac propterea ipſa quidem Religio ſupernaturalis auxilia impertitur, ut officia, naturaliter debita, facilius, & perfectius impleantur. Ipſa evocat a Patre luminum gratiam mentis, & gratiam cordis, hanc, ut ad opera firmati ſimus, illam, ut menti lucem afferat habitantibus in tenebris, & umbra mortis: ipſa dat Sacramenta, ut ſi quid deliquerimus, Reparationem, & debiti ſolutionem habeamus, & ita poſſimus illas producere actiones, quas, *prout oportet*, Concilium Arauſicanum appellat.

Secundo Violentia, & Mortificatio non modo non ſunt naturæ, ejuſque legibus oppoſitæ; verum ipſa quoque natura cuicumque recte rationem conſulenti neceſſarias eſſe demonſtrat, ut ſic homo perveniat non modo ad contemplationem Dei, qui eſt ſuæ felicitatis finis, verum etiam, ut perveniat ad contemplationem rerum abſtractarum, & ſpiritualium. Veritatem hanc ſapientiores olim Philoſophi cognoverunt. Quæ jejunia, quam animi patientiam, & jacturam rerum omnium a ſuis diſcipulis non expoſcebant Stoici, priuſquam ad cognitionem philoſophicorum dogmatum admitterent, & moralium virtutum? Pithago-

ras fere omnium ſapientiſſimus alienationem animi perfectam a fortunis & bonis omnibus a ſuis auditoribus poſtulabat, durumque præterea multorum annorum tyrocinium, antequam in ſubtiliorum, ſublimiorumque doctrinarum cognitionem illos duceret.

Age vero propius rationem, qua homines hujuſmodi, & ſcrutatores intimi Naturæ philoſophantur, expendamus. Ubi nam illi compererunt poſſe dari in Natura una plures Fines? Si plures habet fines Natura hominis; ergo & plures Felicitates: ſi vero plures; ergo nullam. Dum anima cognitioni ſe dat uni, aut omnino, aut ex parte fraudatur altera: ſi autem aut omnino, aut ex parte altera ſua Felicitate fraudatur; jam ægra illic, & non tranquilla eſſe debet; atque ideo nullam haberet Felicitatem, quia nullibi plenam haberet voluptatem. Cognitio enim humana una eſt, & quantum dat uni Fini, tantum detrahit alteri, juxta illud vulgare effatum,

Pluribus intentus minor eſt ad ſingula ſenſus.

Præterea ſi ſenſus quiſque haberet ſuum Finem, & Felicitatem ſuam, ut jactant hi Auctores; eſſet hæc ſane ſuum explere impetum, & in hoc experiri veram, & perennem voluptatem, ut conſtat ex præcedentibus. Deberet igitur ſenſus in conſecutione ſui Finis placide manere, ac quieſcere. Cur ergo ubi vix deguſtavit, cum tædio inde, & averſione regreditur? Finis rerum eſt ejuſmodi, ut in ſui conſecutione conſiſtere rerum naturam faciat, faſtidio nunquam, tædioque afficiat, & a ſe arceat; imo nova ſemper gaudia præbet, & rem in pace conſtituit. Si ergo ſenſus proprium habent, & verum, & peculiarem Finem; quare natura ſic illos ſtruxit, ut durare diu non poſſint in iiſdem objectis ſenſibilibus, quæ voluptatem creant; dum ex diutina eorum poſſeſſione fibrarum laxatio ſequitur, & infirmitas, & ſpirituum diſſipatio, unde retrahi neceſſe ſit, ut ſupra nota §. 11. melius expoſuimus. Accedunt etiam imperfectiones, quibus eſſentialiter immiſcentur objecta quæque materialia.

At non bene inter Naturæ Finem, & media quod ſit diſcrimen noverunt iſti Philoſophi. Medium quodque, ſi ſolum conſideretur, & ſejunctum a cæteris facultatibus, eſt parva quædam Natura, quæ reſpicit ſuum determinatum finem, & quæ, ſi ſola eſſet, ad aliud dirigi, niſi ad eum finem, non deberet. At ſi Medium conſideretur ut pars, ut membrum, Finem ſibi peculiarem non habet; ſed illum, ad quem Natura tota dirigitur, in qua ſubſiſtit. Natura dives in producendis objectis plurima quidem exhibet media voluntati liberæ, ſed nec ſemper, nec neceſſario expedit uti omnibus, & quolibet tempore, ſed tantum ea adhibere, quæ proprius ad Finem eam ducunt, & quibus opus eſt temporibus. Ita Natura Hominis habet, inter cætera, oculos, queis ani-

anima colorem, & ordinem rerum percipit. Si ſolus eſſet hic corporis ſenſus, & peculiarem animam, ut ita dicam, haberet, quæ vitam ipſi ſemper, & motum præbeat; finem etiam ſibi proprium, & peculiarem habuiſſet; ideoque non deberet dare operam, niſi contemplandis objectis, & quo poſſet pluribus, & quolibet tempore, nec frangeret ur, ſuo ſemper Fini inhærendo; ſicut ſpeculum peculiarem habet naturam, ut quæcumque obveniunt referat. Atqui Natura hominis ad hoc nata non eſt, ut videat; nam, etiamſi ſit læſa criminibus, ſubſiſtit tamen ejus finis. Hinc ponendus ei modus in uſu mediorum, & cum habeat oculos, nec debet ſemper inſpicere, nec quæcumque objecta, ſed ſolum ea, quæ ad Finem ducunt. Ita etiam, ut infra dicemus, ubi de cultu Numinis, quærenda eſt homini Extrinſeca Dei perfectio, ſeu, ut vocant, Accidentalis Dei Gloria; quæ in eo ſita eſt, ut omnes ita illum ament, & cognoſcant, ut pro viribus laborent colentium numerum augere. Ad id eadem Natura dedit loquendi Facultatem, ut, quod ipſi de Deo percepimus, oſtendamus aliis; dedit & generandi facultatem, ut cultorum ejus multitudo creſcat. Unde patet omnes facultates, & membra phyſica ad munera Religionis obeunda a Natura unice determinari. Hæ vero obligationes, quæ vulgo poſitivæ vocantur, non ſemper actum externum requirunt, nec quovis tempore; imo, ut magis philoſophice loquar, ſemper in anima habitu pergunt promptitudine ad ea, quæ expediunt, ſed de ſe in actibus externis ſunt indeterminatæ; & ex iis, quæ vel perſonæ, vel loco, vel tempori ſunt adjuncta, determinantur. Ita dicendum de obligatione elargiendi eleemoſynas, docendi, &c.: Et fieri etiam poteſt, ut quis toto vitæ tempore non teneatur ad aliquod ex præceptis poſitivis implendum; quia perſonæ conditio, unde obligationem ſumit, non feret. Ita ſupracitatum præceptum de elargienda eleemoſyna non urget pauperem, qui a ſuperfluo vitæ ſuſtentationi originem ducit. Ita etiam generandi præceptum, antequam peccati corruptio vitiaret Naturam, ratione duce, omnibus datum comperimus per generandi facultatem cuique datam, & propter maximum bonum inde proveniens: at poſt non item, niſi ex peculiari circumſtantia, ut Noe, ejuſque filiis poſt diluvium. In Adamo enim ante peccatum generandi officio non erat additus violentus ille impetus ſe cum creatura conjungendi; adeo ut in illa actione non ſuiſſet impoſſibile, elatis in Deum oculis, & in objecta ſpiritualia, quæ ſunt objectum noſtræ Felicitatis, perſiſtere. Nunc vero, niſi caro oculos ſuos in terram declinare conſtituat, obtenebrato præ concupiſcentiæ impetu intellectu, qui unus poteſt intueri Deum, effectum ſuum non ſortitur: unde tunc matrimonium erat potius Charitatis, quam Concupiſcentiæ exercitium; nunc vero licet poſſit eſſe officium Charitatis, numquam vero exercitium, niſi per miraculum, ut pie creditur in Joachimo, & Anna. Unde Auguſtinus

de

de Adam, & Eva ante peccatum libro de Nuptiis, & Concupiſcentia contra Julianum *Nudi erant, & non erubeſcebant propter Concupiſcentiæ defectum*. Nunc vero, licet peccatum non ſit, ſi ad augendos cultores Dei, & ad exercenda Religionis munera matrimonium deſideretur, ita ut non tamquam fine, ſed tamquam medio utantur concupiſcentia; tamen, quia tale munus exercere debent homines per medium imperfectum, quod eſt concupiſcentia, ſiquis abſtineret, ne tali utatur medio, & ut potius ſe dedat illis Religionis officiis, quæ impleri poſſunt ſine medio imperfecto; ut eſt procul dubio contemplatio Divinorum, non modo non peccat juxta colliſionum principia, imo ſe ab illa imperfectione liberat, quam ſola ſupernaturalis Religio poteſt reficere per novæ legis ſacramentum. Sed de Matrimonio fuſius agemus in ſuo loco, ubi latior de re diſputatio majorem etiam feret lucem. Nunc ad propoſitum revertamur. Unus eſt in Natura Finis, omnia membra, omneſque in ea facultates non ad aliud data, niſi ut media, queis ducatur ad finem. Hinc illis uti, nulla habita finis ultimi ratione, vacare illis, perficere tamquam ad id nos obligatio urgeat, illorum genio cumulatim indulgere, tamquam ex ſe, ac ſola ſint, nec adſtricta Religionis officiis, quæ eſt una ad Felicitatem, nempe Deum via, idem eſt, ac Naturæ ordinem invertere, & eam a recto abducere ordine, curſum illius ſiſtere, & impetum, quo ad Deum fertur, tardare, Creaturis eam ſæpe contra vim ſibi inditam affigentes indigne, quæ, ut ſupra demonſtravimus, felicitatem cauſare nequaquam poſſunt.

In omni profecto compoſita re hunc ordinem, hancque legem recta ratione duce licet animadvertere, tantum facultatibus inferioribus concedendum, quantum ad ultimum illius finem conducat. Quanam enim alia ratione ſtatui poſſet jus, quo omnes utimur, dum rerum naturæ vim quodammodo inferimus, ut noſtro cedant uſui, & maria turbamus per aſſiduas piſcationes, ac per venatum ſylvas, arbores cædimus, ſuas terræ divitias invidemus theſauros effodientes, & ab ipſis gregibus teneros ad necem fætus avellimus? Arbores ſane, ſi ſolæ conſiderentur, habent ſuum Finem creſcendi, ferendi fructus; non vero, ut dum adhuc viveſcant, ad ſimulacra, ad navigia, ad tectorum culmina reſcindantur. Piſces etiam, ſi ſoli conſiderentur, ad id nati, ut ſpatientur in undis, & illic ad libitum depaſcantur; non ut alant homines. Et tamen ipſa nos tacite dudum docuit Natura ſaltem in hypotheſi infirmitatis, quod, licet unicuique rei ſuus ſit Finis propoſitus, & ad illum ex ſe tendant, nihilominus omnia tamquam inferiora nobilioribus membris ſubjici nobis voluit, &, ut commoda noſtra reſpiciant colliſionem, pati. Hine oritur nobis jus illis utendi, vel contra illorum peculiarem Finem. Ipſa docet experientia, Naturam ipſam vi, neci, cuicumque uſui cætera ſua membra dediſſe, modo nobilius conſervetur: & Patres noſtri experien-

perientia, & ratione ducti ſemper hunc tenuere modum, minores, inferioreſque partes mundi hujus adſpectabilis majoribus, nobilioribuſque accommodandi. Aut igitur ratio, experientia, & uſus in ſolo homine fruſtrabitur; aut experientiæ, rationi, & uſui novi iſti Philoſophi contradicunt.

Objicitur. Senſus Felicitatis aliquid habebit numquam? At primum Felicitas debet eſſe talis, quæ totam impleat, & torrente voluptatis ſuæ animam ita invadat, & obruat, ut in extrinſecas etiam exuberet partes, & totum ſic hominem in pace conſtituat. Ex Felicitate non modo voluptas, ſed Gaudium etiam, & Lætitia ortum habent. Gaudium, quia nullus ibi tædio locus, aut moleſtiæ; Lætitia, quia ſic debet abundare voluptas, ut in externas etiam exeat partes, & ſenſus externos, in quo proprie Lætitia ſita eſt, ut ſupra diximus §.

Hic vero obiter animadvertendum eſt plures facultates tum quæ ad ſuperiorem, tum quæ ad inferiorem hominis partem attinent, ſive plures ejuſdem animæ functiones, cum jam ipſa ad ſuam felicitatem pervenerit, & in ſuo veluti centro, ac fine conſtituta fuerit, ceſſare prorſus debere. Simplex Apprehenſio, Judicium, Analyſis, &c. omnes hæ minores facultates, ſive, ut melius dicam, diverſa animæ munia tunc ceſſabunt. Hæc enim omnia ſunt gradus quidam, & inſtrumenta, quæ ad rei, quam quærimus, intelligentiam per quoſdam veluti gradus ducunt. Et anima ſane, cum in his verſatur functionibus, in via manet: quia dum in his eſt, non ad Finem, quo tota tendit, hoc eſt ad Intelligentiam ipſam venit; quod procul eſſe debet a ſtatu Felicitatis; nam Felix ita non eſſet. Multo etiam magis ceſſare debet cognitio rerum confuſa, quæ ubi deerit, patet unicuique quomodo etiam deerit omnis ſenſibilis appetitus: Appetitus enim ſenſibilis, ut norunt omnes, nihil aliud eſt, niſi Voluptas illa animæ, unde inclinatio oritur conſequendi id, quod confuſe cognoſcit; vel ſaltem ut quis appetere ſenſibiliter dicatur, relicta cognitione diſtincta, confuſa uti debet. Appetitus enim ſenſitivus in Pſychologia Empirica definitur, Inclinatio animæ ſub ratione boni, confuſe percepti. Voluptas vero prævia eſt cauſa inclinationis. Unde clare percipitur omnes cognoſcendi facultates in veterem, unde manarunt, unitatem reſolvendas fore: ubi enim finem conſequimur, ceſſat neceſſitas mediorum; ſicut etiam omnes appetendi facultates in unicam voluntatem, aut facultatem rationalem. Quod ſi tunc evaneſcet ab anima multiplicatio facultatum tum cognoſcitivarum, tum volitivarum, facillimum ſit deducere quæ ſint futuræ qualitates, quas induere etiam debeat corpus. Sed ulterius progredi non datur, ne moveam naſum iis, quibus ſpiritualia contemplari, vel plane negavit natura, vel inſtitutio parum indulſit. Sufficiat, oſtendiſſe Felicitatem ſenſuum, quam ipſis deberi ſomniant ſupradicti Philoſophi, in

hac

Digitized by Google

§. 45. Viſus Mortificatio eſt Oculorum cohibitio, ne viſibilibus tantum vacet objectis, imo ne plura percipiat, quam neceſſe eſt ad contemplationem Dei aſſequendam.

§. 46. Tenemur ad Viſus Mortificationem.

D. Tenemur impedire, quominus cognitio noſtra tantum ſenſibilibus vacet, imo ne plura percipiat objecta, quam neceſſe eſt ad Felicitatem, ſeu Contemplationem Dei aſſequendam ex §. 42. Viſus Mortificatio eſt Oculorum cohibitio, ne anima per eos ſenſibilibus tantum vacet, imo ne plura horum, quam neceſſe eſt ad contemplationem Dei aſſequendam, hauriat ex §. 45. Ergo tenemur ad Viſus mortificationem.

§. 47. Ea ergo, quæ animam ab officiis Religionis retrahunt, legere, vel intueri a fortiori prohibemur (1).

§. 48.

hac vita longe eſſe a fine Felicitatis; & Infelicitatem potius, quam Felicitatem conſtituere. Quod ſi reponant, experientia teſte, non ſolum corpora, dum anima adhuc in via eſt, Felicitatem non aſſequi; ſed etiam poſtquam ipſa in ſuum redierit principium, ſuæque Felicitatis terminum; hoc argumento eſſe exiſtere Peccatum Originale; idcirco, antequam Ordo reſtituatur; *ſicut dies antiqui, & anni æterni*, qui ope Reparatoris peragi debet, donec conſumatur hominis iniquitas, corpora ſuam Felicitatem obtinere non poſſunt.

(1) Hinc clare patet, ipſam Naturalem rationem docere, nec oculos nobis ad res obſcænas convertendos, nec libros legendos, qui contra Religionem agunt, aut ad ejus officia parvi pendenda ducunt, vel ſaltem eadem corrumpunt, niſi peculiaris ratio per colliſionem id licitum reddat. Patet etiam Naturam ipſam oſtendere, frænandos oculos, curandum, ut mortui ſint illis rebus, unde Mortificatio dicta creditur, quæ ad conſecutionem noſtri Finis, & noſtræ Felicitatis non conducunt; imo ut negligantur ea, per quæ longum eſſet iter ad Finem noſtrum, & ea, per quæ propior eſt acceſſus, ſeligamus. Quam ergo ſunt quibuſdam inutiles tot ſcientiæ, quibus ſtudium impendunt: quam ab officio Religionis aberrant, qui rebus, ad eorum Felicitatem, ſtatumque nihil pertinentibus, operam ponunt?

Secundo deduci ex hoc liquido poteſt, ut deducemus infra, ſi per tempus licebit, quomodo jus ſit ei, qui Religioni præeſt, lectiones Librorum prohibendi, cum unum ſit ex officiis Religionis, ut demonſtravimus, libros illos non legere, qui Religioni obſtant, vel ejus officia pervertunt; cumque ex alia parte ad Miniſtros Religionis pertineat, ad illius

illius ſinceritatem, & puritatem religioſos actus exigere, oſtendere, ac præbere, quæ ad finem faciunt, quæ autem contra, arcere, & avertere, dubium erit nemini, quod ipſis jus ſit, cenſura notare libros, qui talia continent, ac prohibere, ne perlegantur. Atque utinam hæc documenta, quæ nedum Fides, ſed & ipſa Natura ſuggerit, impleantur. Non unumquodque dogma Religionis; non tota etiam Religio, in ipſis tentata, & oppugnata radicibus, fundamentiſque, videretur præ manibus etiam rudiorum verſari. Quot enim ſunt noſtris temporibus, qui, cum vix Catechiſmum Religionis, hoc eſt nuda dogmata, & propoſitiones attigerint, nec unde ea deſcendant, nec principia intima, qua par eſt meditatione, & ſtudio proſecuti fuerint, avolant ſtatim ad illius oppugnatores, ipſis inſudant, ipſos nocturna verſare manu, verſare diurna non reformidant; nec id Deum agnoſcendi gratia, & finem ſuum propius conſequendi; ſed vel otioſa curioſitate, vel quia ita ſe doctos exiſtimant habendos, & inanem auram ingenti ſui, & aliorum damno aucupantur. In rebus abſtruſis, in rebus a vulgari captu remotis, ut ſunt intima noſtræ Religionis principia, difficultates movere, quid magnum non eſt: levis ingenii quiſquam, ſi volet, hoc perficiet, ut metum, quem ipſa Religio incutit, excutiat: nec id magnitudinem intellectus portendit, ut rude etiam Literatorum vulgus, ne dicam inſipiens, delirat, qui effuſis ideo laudibus homines hoſce cumulant, proſequuntur. In multitudine dogmatum, ſicuti in quacumque alia multitudine facile erit invenire colliſionem, niſi in unitate principii, unde hæc omnia promanant, conſpiciantur; quod paucorum eſt, quos æquus amavit Juppiter, aut ardens evexit ad æthera virtus. Multitudo in Phantaſia locum obtinet, plurimorum ratio in Intellectu. Plurimorum ergo colliſionem invenire Ingenii eſt opus potius quæ pars una Phantaſiæ eſt, quam Intellectus. Deinde Religio non eſt, nec debet eſſe ſcientiæ, ſed intimæ ſuperſtructa Conſcientiæ, quam habent omnes homines, quæ eſt una in omnibus. Si in ſcientiarum, ſi in principiorum cognitione innixa foret Religio, non religaret omnes voluntates hominum voluntati Divinæ; non ad ea omnes teneremur; non enim omnibus factum eſt ad ſtudia, ad ſcientias ingenium, nec omnibus datum eſt vacare ſcientiis: data propterea omnibus Conſcientia, non vero Scientia. Adde, quod ſi in ſcientia ſita foret Religio, tot eſſent, imo eſſe deberent Religiones, quot reperiuntur mentium ad ſcientias habitudines, ut nunc videre eſt in nonnullis Europæ regionibus. Franciſcus Valchius Compendii Hiſtor. Eccleſiaſt. cap. 5. ſect. 2. ait: *Equidem non opus eſt longius in cauſas inquirere, cur noſtra ætate libido illa contra Revelationem Divinam pugnandi tot animas in Anglia impleverit; qui iſtam ex gentis illius indole, & ſtudiis repetunt, non omni ex parte a veritate aberrant: magis tamen ad illam accedunt, qui cum his li-*

Digitized by Google

§. 48. Auditus eſt animæ facultas percipiendi ſonum convenienter mutationi; per eumdem in aurem factæ.

§. 49. Quodcumque organa noſtra ſenſoria immutat, Materiale eſt.

§. 50. Tenemur ad Auditus Mortificationem.

D. Tenemur impedire, quominus anima plura objecta materialia percipiat, quam neceſse eſt ad Felicitatem aſsequendam ex §. 41. Impedire quominus anima plura objecta materialia percipiat, quam neceſse eſt ad Felicitatem aſsequendam, dicitur Mortificatio ex §.43. Auditus eſt facultas animæ percipiendi ſonum convenienter mutationi per eumdem in aurem factæ ex §.48. ac proinde eſt facultas percipiendi objecta materialia ex §.49. Ergo tenemur ad Auditus Mortificationem.

§. 51. A fortiori ergo prohibemur audire ea, quæ ab officiis Religionis nos retrahunt.

§. 52. Guſtus eſt facultas percipiendi ſapores convenienter mutationi, quam objecta, dentibus comminuta, in palato producunt.

§. 53. Tenemur ad Guſtus Mortificationem. Demonſtratio patet ex §. 42. 43. 44.

§. 54. Olfactus eſt facultas percipiendi Odores rerum convenienter mutationi, vi effluviorum a corporibus odoriferis exhalatorum in naribus facte.

§. 55. Tenemur ad Olfactus Mortificationem.

§. 56. Tactus eſt facultas percipiendi quantitatem, & qualitates aliquas corporum convenienter mutationi, quam per contactum corporis noſtri in eodem producit.

§. 57. Tenemur ad Tactus Mortificationem (1).

CA-

---

bertatem conjungunt, qua ſunguntur Britanni mentis ſuæ cogitata publice proferendi. Hæc enim ſi in aliis provinciis æque late pateret; vereor, ne æque magna futura ſit ſimilium beſtium veritatis copia.

(1) Si eodem robore, ac eadem perſpicuitate rationis, qua demonſtratur neceſſitas Mortificationis ſenſuum, poſſet etiam & quantitas hujus Mortificationis demonſtrari; non parum ex eo commodi in Religionem derivaret, non parum fræni effrænatorum moribus injiceretur. Sunt autem impedimento duæ inter ſe valde pugnantes leges ad rem tanti

mo-

momenti conſtituendam , quarum utrumque natura ſua in individuis omnibus habet vim , & poteſtatem variam . Una nobis jubet ſpiritualibus vacare rebus : ibi enim noſtra Felicitas , & quo ab objectis materialibus longius ſecedimus , eo propius ad Finem noſtrum , ad quem natura tendit , accedimus . Altera vero monet vitæ noſtræ rerum materialium ope providere . Hæc ad ſenſibilia trahit cognitionem hominis , illa abducit . Verum profecto eſt , hanc ſecundam a prima ſemper pendere ; nam ideo tenemur ad cuſtodiendam vitam , ut dum vivimus , per officia Religionis progrediamur in iter perfectionis , & magnificetur Deus in nobis ; & hinc ſi vita cum religione colliditur , cedere debet vita ; quia media quæcumque cedere debent fini : finis vitæ , ut diximus , eſt Religio ; vitam igitur ipſam cauſa Religionis perdere , ubi collidentur , lege naturæ præceptum . Nihilominus inficiari nemo poteſt neceſſarium nobis eſſe uſum materialium rerum , ut conſervemus vitam , & ut in via ad Felicitatem magis ipſi nos perficiamus . Oritur hinc neceſſitas & audiendi , & videndi , & victum etiam comparandi . Sed quantum quiſque debeat dare victui , vel potui , quæ videre , quæ audire ad aſſequendam felicitatem , non ad ipſos ſenſus explendos , tamquam ſi ſoli ſint , & eum peculiari fine audiendi , guſtandi , &c. nati , per demonſtrationem ſtatuere nequimus . Hoc ſane ex iis , quæ individuum quodque circumſtant , metiendum . Hinc perquam difficile , ne impoſſibile dicam , quantitatem Mortificationis cujuſque ſenſus ſcientiæ ſubſidio præſcribere , atque definire . Definiri prudenter ſolum id poteſt vel a voce conſcientiæ cujuſque individui , vel a doctis & ſolertibus viris , ad quos circumſtantiarum plena cognitio deferatur , & quorum mentes ſpiritus ſuperne deſcendens illuſtraverit . Nos hoc unum egimus ; generaliter conſtituimus , licere tantum cuique uti rebus ſenſibilibus , quantum ad viam felicitatis conducant . Atque hic humanæ cognitionis in figenda Mortificationis quantitate defectus , cum deberet eſſe magno hominibus metui , & timore ſummo , & tremore noſtrum ad felicitatem , & ſalutem iter perfundere , ut ſuſpenſo ſemper gradu vivamus , ne ad mundum , ne ad res ſenſibiles pluſquam par eſt , inclinemus ; munimini potius eſt , & propugnaculo , quod ad malos tenendos uſus , & polluendam impune Religionis ſanctitatem obtendatur , uſque eo , ut ſub ſpecie tutandi vires , reficiendæque naturæ ad durandos in itinere perfectionis labores , etiam ad ſcenarum fabulas , & obſcena ſpectacula , ad audiendum inter jocos , & riſus , & muſicos concentus , aut amoris triumphum , aut alterius cujuſpiam Idolatrarum furores , curratur . Vere præclara ſunt hæc inſtrumenta , queis novæ vires , novi ſumantur ſpiritus , ut attentius meditemur inde res divinas ; ut ſubditis , quos Principum abſentium incuria arbitrio præpotentium , & avarorum reliquit , jura tribuantur , & auxilium impendatur ; ut officia charitatis , ſeu potius internæ juſtitiæ erga fratres exercean-

CAPUT IV.

De Amore Dei.

§. 58. SI, quod Nobis placet, in altero obſervamus, oritur Amor, ſeu diſponitur animus ad Amandum.

§. 59. Amor proprie eſt diſpoſitio animæ ad percipiendam voluptatem ex perfectione alterius.

§. 60. Diſpoſitio animæ ad percipiendam voluptatem ex alterius perfectione confuſe percepta, ſeu ſenſu duce, dicitur Amor Senſitivus.

§. 61. Diſpoſitio animæ ad percipiendam voluptatem ex alte-

ceantur; ut ſua in ſimplicitate Religio ab ipſa pene infantia inſtilletur filiis, & tantum pecuniæ ad pauperum levandam famem impertiatur, quantum noſtris neceſſitatibus ſuperſit. Quæ omnia ſunt obligationes naturales, ut infra ſuo loco clarius oſtendemus. Et, quod nullo modo ferendum arbitror, hoc intuitu ipſa etiam in ſanctis, venerandiſque ſuis functionibus, & officiis profanatur Religio. Nam cum ſtatis quibuſdam in anno diebus opera pœnitentiæ, meditationis, officia ſinceræ charitatis, præclara facinora, & virtutes eorum, qui vere religioſi fuere, proponat, ut ad eorum ſequenda veſtigia nos alliciat, & excitet; gravibus etiam his, ſanctiſque functionibus Mundi deliciæ, ludi, ſpectacula intermiſcentur. Satyricam potius gerere, quam philoſophicam perſonam in tractandis hujuſmodi officiis opus eſſet. Hoc equidem aſſero, nimis paucas eſſe res materiales, quæ ad noſtram felicitatem aſſequendam ſint neceſſariæ. Docet hoc ratio, docet experientia, & memoria magnorum hominum, qui vitam ſuam, ut opus eſt, Religionis officiis conſacrarunt, & ea ſervare ſtuduerunt; nec victus parcitas vitam illis minuit, nec ſpreviſſe mundi ſolamina minus tranquillos, ac hilares reddidit. Neceſſitas utendi materialibus magna ex parte ortum ducit ex falſitate hypotheſis, ſcilicet ex certis muneribus, & vivendi rationibus, quibus temere, & inconſulto, nullo habito ad Religionem reſpectu, nos ipſos addicimus: quæ hypotheſis, & munera vel ex Religione proficiſci, vel cum ipſa minime pugnare pro certo communiter ponitur; unde maxima offundunt confuſione Moralium tractationes. Regulæ Religionis paucæ ſunt, & ſimplices: declinantem dignoſcere non magnum eſt.

Digitized by Google

alterius perfectione, Intellectu cognita, dicitur Amor Rationalis.

§. 62. Amor Rationalis proprie dicitur dilectio.

§. 63. Amor Senſitivus proprie dicitur libido (1).

§. 64

---

(1) Hoc eſt diſcrimen inter delectationem, & libidinem, ſeu inter Amorem Rationalem, & Senſitivum, quod ſenſus ſequatur objecta ſenſibilia, & anima eorum, qui ſenſu utuntur duce, ſequatur eos motus, qui ipſam alliciunt, & mulcent, nullo delectu inter ſpiritualia, & materialia habito; ſed tota ratio, cur eos ſequatur, eſt voluptas, ſeu quia placent; unde merito Latini hujuſmodi amorem Libidinis nomine donarunt a *Libet*, ſeu *Lubet*. Contra vero intellectus, non quæ placent, ſed ea tantum eligit, quæ rationi congruunt, & reſpondent fini hominis proprio. Cum autem non omnia objecta rationi congruant, imo quamplura ipſi adverſentur, ideo in actibus ſuis procedere debet cum delectu, unde Dilectionis nomen a *Diligo* ſeu *Deligo* Amor Rationalis hauſit.

Inſuper non qualibet voluptas, quam experitur anima, eſt Amor: ſed magnum voluptatem inter, & Amorem diſcrimen intercedit. Voluptas ex quolibet objecto, cui perfectionis aliquid ineſt, vel ineſſe videtur, originem ducit; cognitio enim perfectionis, ut diximus, voluptatem animæ creat, & inſerit; ſed non ſtatim Amorem. Ad Amorem requiritur animi diſpoſitio ad percipiendam eandem voluptatem ex alterius perfectione. Diſponitur autem animus ex ipſa voluptate, quam ex objecti, vel multoties ſenſu percepti, vel ſaltem imaginationis vi reproducti, contemplatione percipit. Ex qualibet enim ſenſatione, vel reproductione animus voluptatem capit. Voluptas paulatim animi potentias, & facultates omnes demulcet, & allicit ita, ut demum voluptate ipſa conſperſæ faciles in illud objectum, procliveſque reddantur, adeo ut nulla vi opus ſit ad attentionem in hujuſmodi objectum convertendam. Cum animus eſt diſpoſitus, ſponte ſua vergit ad contemplationem objecti, ut voluptatem ex ipſo percipiat. Ex hoc fonte oritur, quod, ut aliquem amemus, non ſufficit perfectionis ſive veræ, ſive apparentis ſimplex cognitio, ſed requiritur frequens ejuſdem ſaltem in imaginatione reproductio, ut ejus voluptas animæ facultates, & potentias demulceat, & ad objecti aſſecutionem eas attrahat, & inclinet: niſi forte in primo intuitu tanta ſit voluptas, ut ſtatim id operetur. Oritur ſecundo, quod objectum amoris aſſequi pro viribus laboramus, & lapidem omnem movemus. Nam cum potentiæ & facultates ita diſpoſitæ, inclinatæque ſint ad voluptatem ex conſideratione objecti percipiea-

§. 64. Diſpoſitio animi oritur ex frequenti perceptione, vel imaginatione perfectionis (1).

§. 65. Animus eſt facultas dirigendi vires, & potentias, ſe inferiores, hominis (2).

§. 66.

piendam, ut ab ipſo averti non poſſint ſine tædio; illud autem, quod non ſemper in noſtra poteſtate eſt, non ſemper contemplari poſſimus; hinc illud penes ſe habere, eoque pro libitu uti conatur animus, &, ſi fas ſit, cum ipſo uniri, & incorporari, ac velut unum cum ipſo fieri, ne periculum ſubeat amittendi, attentionemque proinde ſuam ab ipſo avellendi. Hæc amoris actui inſunt, donec, imperfectione aliqua in objecto detecta, ſi bonum deficiens ſit, animus ab ipſo reſiliat. Cætera, quæ ex hac propoſitione ſequuntur, tum ad pſychologicam, tum ad Theologicam facultatem pertinentia, libenter omitto; cum jam hujuſmodi facultatibus apprime, ut arbitror, inſtructi ſitis, & ea mihi tantum liceat in memoriam revocare, quæ lucem proximis propoſitionibus præbeant.

(1) Satis ſupra in nota præcedenti diſſeruimus, quomodo diſponatur animus ad amandum; Ideo tamen veritatem cuique notam, & nota præcedenti ſatis enucleatam per poſtulationem in propoſitione poſui, ut ſequentium propoſitionum demonſtrationes dilucide inter ſe connectantur. In hoc igitur differt Voluptas ab Amore, quod Amoris vis in eo ſita ſit, quod animus cum omnibus potentiis inferioribus, & ſibi ſubordinatis feratur in objectum, ut in eo Voluptatem capiat. Multæ in natura dantur potentiæ, quarum quælibet ſuum habet objectum, ad quod dirigatur. Ut autem omnes ad unum tendant, opus eſt diſpoſitione, qua veluti emolliantur, & inclinentur ita, ut animus plene, & facillime recreetur voluptate. At contra ſimplex voluptas ex qualibet cognitione perfectionis, etiam invito animo ab extrinſeco eruitur, & naſcitur.

(2) Actio eſt phænomenon, & congeries quædam ex multis ſimplicibus actibus, veluti in unum congeſta, & coagmentata. Actus ſimplices ſunt Potentiarum facultatumque ſingularum exercitium, quas nos vires appellamus. Vis eſt continuus agendi conatus. Actuale virium exercitium, quod imaginariæ diſtinctionis cauſa a vi aliquando dividimus, Actum appellamus ſimplicem; Vim vero facultatem. Sic ſimplex objectorum Perceptio, aut ſimplex ſuper eadem Attentio animæ Actus, non Actio eſt. Actio humana tunc datur, cum nedum Intellectus, ſed etiam Voluntas concurrit, & ex parte Intellectus multi ſimplices actus opus eſt, ut confluant: Exempli gratia: priuſquam voluntas decernat, & ratio-

§. 66. Animus debet frequenter contemplari, vel ſæpius audire, vel legere perfectiones Dei, ſi ipſum amare velit.

D. Amor

---

tionabiliter conſtituat aliquid amplectendum, objecti Perceptione prius indiget, dein Attentione, quam Reflexio proxime comitari debet, uſquedum Intellectus rationem percipiat veram ipſius objecti; examine poſtea mediorum, quæ ad aſſequendum propoſitum ſibi finem neceſſaria ſunt, inſtituto, poſtremo tandem Aſſenſu indiget Voluntatis, quem Locomotiva facultas ſubſequitur, quæ quoad homini fieri poteſt, quod animo homo intenderat, efficit exterius, perficitque. Actio ergo ex tot ſimplicibus Actibus oritur, proficiſcentibus ſingulis, ex ſingulis facultatibus; quæ ſicut omnes hominem conſtituunt, componuntque, ita Actio ex iſtis proficiſcens Humana dicitur. Licet enim Actionem, quæ eſt contra legem naturæ, ex omnibus facultatibus oriri nec opus ſit, nec vero poſſit; e contrario tamen dicendum de Actione; quæ eſt juxta legem; & ideo hæc humana dicitur, illa vero contra Naturam. Hujus loci non eſt, ne longius, quam par eſt, adnotationis fines protraham; præ oculis ponere, uti in unaquaque Actione, vere humana, cor, potentiarum corporalium centrum, & principium, quod facultas Locomotiva dicitur, debeat neceſſario concurrere. Cæterum aliqua forſitan nobis occaſio in poſterum magis opportuna, eadem breviter indicandi ſe offert. Singulæ hominis facultates inter ſe differunt; imo quæque ſuum immediatum, diverſumque obtinet finem determinatum ad finem eumdem ultimum a quadam altiori, & ipſis ſuperiori Potentia, quæ eorum quamlibet juxta propriam naturam, & requiſitum a fine ordinem, dirigit, ac determinat, nunc longiorem adhibendo reflexionem, aut majorem attentionem, nunc validiorem cordis excitando motionem, & hæc Animus nuncupatur. Velle Voluntatis eſt, re dirigere potentias, & perficere, opus animi. Hinc quantum potentiæ in nobis datur determinandi ſingulas facultates, tantum Animi nos habere noſcimus, & dicimur. Plura volumus, quæ perficere non poſſumus ex defectu Animi. Hæc potentia aliis facultatibus ſuperior, Animus dicta, efficit, ut ordinate in ſuis functionibus, & ſine confuſione procedant inferiores facultates, & progrediantur juxta propoſitum finem, & eis ſemper, ne diurno exercitio deficiant, novam vim ſubminiſtrat. Animus enim eſt, qui omnes vires in unum colligit, ſuoque ſubdit imperio; dein pro neceſſitate, & exercitii qualitate diſtribuit in inferiores potentias, & partitur. Undenam major, vel minor potentia ſupra potentias animæ oriatur, infra, ubi de vera Dei dilectione, quam natura humana erga Deum exhibere debet, ſi ſibi conſtare velit, diſpiciemus, aliquid adnotabimus. Undenam major, vel minor Animus, ſeu major, vel minor ſupra corporeas vi-

D. Amor eſt diſpoſitio animi ad percipiendam voluptatem ex alterius perfectione ex §. 59. Animus diſponitur ex frequenti perceptione, vel imaginatione perfectionis ex §. 64. Ergo animus debet frequenter contemplari, vel ſæpius audire, aut legere perfectiones Dei, ſi ipſum amare velit (1).

§.67.

---

vires poteſtas ſuum habeat initium, utrum ex cordis anguſta ſtructura, eo quod arctatum, compreſſumque celerius, vehementiuſque ſanguinem omnis corporei motus principium, ejaculetur, & ſuppeditet; an ex lata humerorum ſtructura; aut ex validiori, & crebriori fibrillarum conſtructione; meum non eſt definire, nec in mea poſitum poteſtate. Certum, exploratumque experientia duce, ac magiſtra, quod propoſito nobis fini ſatis eſt, dari Animum, ejuſque magnitudinem, & exilitatem in majori, vel minori vires miniſtrandi poteſtate conſiſtere. Undenam in corpore oriatur, Phyſicis, unde in anima, Pſychologicis inquirendum jure relinquimus, ad eoſque noſſe cupientem amandamus.

(1) Ridiculum ſane, & illuſorium eſt, in animum inducere diligere Deum, & ejuſdem amorem in illis manere, qui per dies ipſos, Dei, ejuſdemque perfectionum contemplationi ne tantillum quidem temporis dent, vel lectioni piorum librorum, in quibus Dei continentur delineatæ perfectiones. Rerum maxime ſpiritualium, & a ſenſibus remotarum amorem cordibus inſerere opus eſt ſatis arduum, & labor perdifficilis. Objecta quidem ſenſibilia ſatis ipſa per ſeſe animi potentias, & cordis maxime facultates attrahunt, ſenſus noſtros dulci impreſſione percellentes; & ad eorumdem ſenſibilem, & apparentem perfectionem experiundam, & percipiendam nulla opus eſt vi, cum in ipſa materiali, quam per ſenſationem ipſam immediate haurimus, idea, eorumdem perfectionem liceat intueri, ac percipere, & cum perfectione voluptatem. Contra vero in ſpiritualibus ideam paulatim abſtrahi ope intellectualium operationum, & a ſenſibilibus, quantum potis eſt, præſertim in aſſequenda ſummi Numinis, ejuſdemque perfectionum cognitione, expoliari opus eſt, ut ex intuitu perfectionis divinæ voluptas oriatur, quæ deinde potentias, quæ vi ſua, & aſſueta in ſenſibilibus quieſcendi conſuetudine, ad inferiora trahuntur, attrahat paulatim, & continua ſui effuſione, quæ ſenſim ſine ſenſu ſubrepit intus, mulceat, & alliciat, diuturnaque contemplatione ita ſeſe perfundat, ut eas velut in unum colligat, & ſic quaſi unico ictu, ac conatu in Deum feratur Animus. Hac ratione vera Dei dilectio efformatur, & exurgit. Hæc agere, hiſque actibus, quos, ſine vi parti adverſæ, ſeu inferiori adhibita, exercere non valet, immorari debet Animus, ſi Deum velit diligere.

Nec

Digitized by Google

§. 67. Deum tota Mente diligere eſt omnes facultatis cogno-

Nec ſufficit animum ſemel ex frequenti contemplatione Dei, vel frequenti lectione perfectionum ipſius diſpoſuiſſe, & potentias ad Dei amorem inſtituiſſe, & efformaſſe; ſed per ſingulos dies, imo in ſingulis diebus plures vices hujuſmodi meditationi incumbere, & inſudare debemus. Cum ſenſibilia, ut paulo ante, & ſuperque in notis praecedentibus expoſui, ſponte, & nulla vi potentias animae ſemper poſt ſe pertrahant, & alliciant, diſpoſitionem jam multo labore adquiſitam, & ſummo ſtudio efformatam facile abrumpunt, & nova ſenſibilis voluptatis perfuſione Amorem ipſum Dei inficiant, & minuunt paulatim ita, ut ni continuo innovetur, ſola ſenſibilium meditatione, & in ipſis diuturna delectatione extinguatur. Deum enim nedum diligere, ſed tota mente, toto corde, omnibus viribus noſtris, ut inferius demonſtrabimus, diligere debemus. Sola Dei dilectio, & eorum, quae in ipſo ſunt, ex omnibus omnino potentiis, & viribus, hoc eſt ex toto homine proficiſci poteſt, & debet: reliquae Amoris ſpecies, cum ſint contra rationem, aliquam ſaltem potentiam reluctantem experiri poſſunt, & debent: unde altera cauſa, & origo, quare in hujuſmodi amore natura quieſcere non valet: quare Auguſtinus: *Feciſti nos Domine ad te, & inquietum eſt cor noſtrum, donec requieſcat in te*. Igitur ne aliqua animi noſtri potentia amoris profani illecta dulcedine a Dei amore diſtrahatur, ope Meditationis ad veram, & naturae conſonam diſpoſitionem aſſidue pertrahenda eſt. Sola meditatio Dei, ejuſdemque perfectionum apta eſt ad gignendum Dei amorem, & dilectionem: Caeterae meditationes, diſſenſus ſcilicet peccati ab natura humana, Mortis, poenae, quam ipſa peccati actio involvit, ſcilicet inferorum &c. dilectionem Dei generare non valent, ſed tantum adjumento eſſe poſſunt, ut potentias abſtrahamus a noxiis; impedire tantum valent, quominus objecta ſenſibilia morae ſint, ut potentiae in unum Dei intuitum colligantur, unde dilectio paulatim gignatur in nobis, & augeatur; cum enim idea Inferorum, Mortiſque meditatio annectatur, & in unum veluti ſit conflata in imaginatione ope meditationis cum idea voluptatis ſenſibilis, & profani amoris, tamquam illius cauſae, non poteſt animus abhorrere, & recedere ab idea inferni, quin ſimul abhorreat ab idea amoris profani. Unde hujuſmodi meditationes animum veluti purgant, & diſponunt potentias ad amorem Dei concipiendum. Cum enim hujuſmodi meditationibus animae potentiae ſolvantur vinculis terrenae voluptatis, & a contemplatione ſenſibilium deterreantur, leviori conatu ad Dei contemplationem pertrahuntur, & Dei contemplatione ad voluptatem ex ejuſdem perfectionibus hauriendam; unde paulatim Amor oritur, & augetur.

Digitized by Google

gnoſcitivæ potentias ita diſponere, ut ex ſola Dei cognitione voluptatem capiant (1).

§.68.

Aſceterium hujuſmodi demonſtrationes ſapere, non Juris Naturalis ſcientiam videbuntur iis, qui ex Naturæ Lege nihil, niſi Individui Perfectionem, Societatem, Bonum Publicum, Ariſtocratiæ, vel Monarchiæ præſtantiam &c. eruere ſolent; ſicque animum magnis nominibus, & rebus oblectantur: & virorum religioſorum dicta, & piorum hominum libros, & elucubrationes, in quibus hujuſmodi propoſitiones continentur, ne dicam ipſos ſacros Libros, parvi pendunt: imo, qui hæc ſciunt, illa vero vel neſciunt, vel non ſapiunt, pro humi reptantibus animis habent. Durum præterea, & ſatis a Naturæ legibus alienum videbitur iis, qui aut nihil, aut parum admodum de interiori Religionis cultu, & officiis ſolliciti ſunt, nos eos adigere, & impellere, ut Dei contemplationi, & continuæ Meditationi vacent. Sed ſatis certum, exploratumque iis eſt dogma hoc, qui Religionis officiis quotidie, & omnibus viribus dare operam ſtudent. Expendite propoſitiones ipſas, utrum ex ipſius Naturæ viſceribus eruantur, & demonſtrativa methodo, an vero mero confictæ ſint cerebro, & illuſoriis innixæ imaginationibus. Meum erit infra Œconomiæ, & Societatis leges, & Boni Publici Jura demonſtrare, & quomodo Religionis officiis congruant; imo quomodo ipſa Religio hujuſmodi officia inſtituat, atque præcipiat, oſtendere.

(1) Unicam cognoſcendi facultatem ex diverſis muneribus, quibus ipſa fungitur, in plures Potentias inferiores communis loquendi uſus diſtinxit, & ſingulis ſingula attribuit nomina, quæ omnia clariori methodo in Logicis, & Pſychologicis Diſciplinis traduntur. Jam vero tunc Deum tota mente diligere noſcimur, cum nihil ſenſu percipere, hoc eſt audire, vel legere &c. facultas hæc novit, vel ſapit, niſi quæ Dei ſunt; ſuper nullam objecti partem lumen ſuum intendere, niſi ut clarius aliquam Dei perfectionem agnoſcat; nihil ex rebus eruere per judiciorum connexionem, niſi veram rerum notionem, ac primam, nempe Deum, vel aliquod Dei attributum. Hæc agere, hiſque immorari, Intellectum aſſueſcere ita, ut nullam ex aliis objectis voluptatem capiat, præterquam ex Dei, divinarumque perfectionum meditatione, dicitur, ac vere nominatur Amare Deum tota mente, ac inter omnia objecta diligere. Omnia objecta nedum inviſibilia, ſed & viſibilia, naturalia, & artefacta ideo ſunt, quia aliquam primi Entis perfectionem derivatam habent, & continent; ideo exiſtunt, ut ipſam intuentibus exprimant, & præſeferant. Exiſtentia ad Uſum pertinet, ipſorum Eſſentia ad ſcientiam. Caligo illa, qua mens humana perfunditur, cauſa eſt, & origo, cur in objectis nec ſemper, nec in omnibus Creatorem ho-

Digitized by Google

§. 68. Deum toto Corde diligere eſt omnes Facultatis Appetitivæ motus, & inclinationes ita diſponere, ut in una Dei voluptate, quam ex ipſius contemplatione haurimus, quieſcant, & delectentur (1).

---

horum, ſempiternam quoque virtutem ejus, & Divinitatem intelligamus. Hinc qui Naturæ legi, Deum tota Mente diligendi, incumbere velit, inſudandum prius, ut ea tantum ſenſus legat, vel audiat, quæ immediate reſpectu noſtri aliquam Dei exprimunt perfectionem; unde oritur ſacrorum librorum, & imaginum, ut deinde ex aſſidua Dei meditatione, qua Dei, ejuſdemque perfectionum idea major in nobis fit, ignorantiæ tenebræ paulatim expellantur, & quæ in objectis prius non legimus, perlegamus poſtea ita, ut Deum in objectis omnibus, & objecta omnia in Deo, ut vere ſunt, dignoſcamus, ſicut docet Coſmologia.

(1) Unicam dari voluntatem ſatis exploratum eſt in Pſychologicis: quæ nihil aliud eſt, niſi liber animæ motus erga objectum illud, quod præcognoſcit. Si fertur erga objectum, quod ratio, ſeu intellectus ſuggerit, dicitur proprie Voluntas, ſeu motus animæ rationalis; ſi vero erga objectum confuſe, ſeu ſenſu tantum duce, præcognitum, dicitur Appetitus ſenſitivus, ſeu Voluntas animalis; ſi erga luxuriæ motus, Voluntas carnis; ſi hanc ipſam animo tantum generandi, Voluntas Viri; ſi erga objectum illud, quod Gratia ſuggerit, & præmonſtrat, actionemque comitatur, & perficit, Voluntas Dei. Si appetitus fuerit vehemens, tunc dicitur Affectus. Tum Appetitus, cum Affectus, tum Rationalis, cum Animalis ſubdividuntur ex objectis, in quæ tendunt. Si animæ motus tendit ad inferendum malum alicui, propter malum nobis ab illo illatum, dicitur Vindicta; ſi ad percipiendam voluptatem ex alterius damno, dicitur Odium; ſi animi motus feratur in aliquod bonum, quod obtentu poſſibile judicatur, dicitur ſpes &c. Jam vero hæc eſt natura cordis, ut ad ſingulas ſenſibilium objectorum ſenſationes accurrat motu ſuo, & ſi in illis perfectionem aliquam percipit, vel imperfectionem, ſtatim objectum illud, unde ſenſatio oritur, appetat, vel averſetur. Hic vero appetitus, vel averſatio, nulla intellectus, & voluntatis matura operatione peragitur; imo niſi hic animæ, ſive cordis motus ſollicite a rationali voluntate cohibeatur, & comprimatur, ad objecti præſentiam ita augetur, ut Affectus oriatur, ſcilicet vehemens animi motus erga objectum illud. Cum autem hujuſmodi ſenſationes perennes ſint, & multæ, ſimultaneæ, & ſucceſſivæ, & ab ortu noſtro ſemper in nobis etiam nolentibus peragantur, remanentibus in nobis eorumdem veſtigiis, motus cordis ita dividitur erga objecta, ut animus debilitetur, minuaturque, & ex contrarietate motuum, qui ſponte fiunt er-

Digitized by Google

§. 69. Deum diligere omnibus Viribus eſt, omnes tum Mentis, tum Cordis potentias majori, qua poſſumus, intentione diſponere, diſpoſitas dirigere, & directas eadem majori,

erga ſenſibilia, inteſtinum bellum oriatur. Hæc cordis, ejuſdemque motus proclivitas erga ſenſibilia eſt illa Lex in membris noſtris repugnans legi Mentis noſtræ, ſeu voluntatis rationalis, quæ non fertur niſi in objectum, quod prius intellectu duce amplexari debere exiſtimat. Motus hos cordis ad ſenſibilia ultro, & natura ſua pronos, procliveſque, ad ſequendum, amplectendumque mentis bonum ſine vi Voluntas abſtrahere non poteſt. Motus cordis ſemper niſi ſenſibiliter, inſenſibiliter ſaltem ad ideas ſenſibilium, quæ in nobis remanent, quaſque animæ Paſſiones jure appellamus, ſemper tendunt, & diſtrahuntur; ſenſibilia enim omnia ideas imprimendo corpus noſtrum afficiunt nunc majori, nunc minori impreſſione, & prout major, vel minor fuerit ſenſatio, impreſſio, veſtigia relinquit, per quæ neceſſario diſcurrentium ſpirituum, & ſanguinis curſus diſtrahitur, ac veluti interrumpitur; unde vim ſuam ex parte amittit Animus. Jam vero Deum diligere toto corde eſt omnes Animæ, ſeu Cordis motus ita abſtinere a ſenſibilium veſtigiis, & in unum colligere, ut in Deum, ejuſdemque perfectionum contemplationem tendant, & in ipſa conquieſcant. Nihil in ſenſibilibus ſapere, nec in ipſis ſine tædio immorari anima debet: hoc eſt toto corde diligere; omnes potentiæ facultatis appetitivæ a Deo proficiſcuntur, & ad Deum tendere debent: quilibet niſus ad creaturas eſt contra finem a natura inditum.

Poſita autem corruptione hac naturæ, qua verſamur, & induimur, poſita infirmitate cordis; vi cujus tot, ac tantas ſenſibilium vel inviti impreſſiones patimur, quo ſe extendat præceptum diligendi Deum toto corde, inferius agemus. Cum enim ſit impoſſibile naturæ humanæ, ſibi tantum relictæ, ut omnes omnino vires abſtrahat a ſenſibilibus, & in unum colligat, ut ne minimus quidem motus, etiam inſenſibiliter, poſt affixa cordis materialia veſtigia, ad objecta alia diſtrahatur, unde perfectus amor, & ex omni parte abſolutus reſultaret, intra naturæ vires amorem elicere non poſſe homines ſuis viribus clarum fiet unicuique in noſtris Inſtitutionibus Theologicis: unde ad amorem Dei perfectum, & ex omni parte abſolutum requiritur ſupernaturalis cognitio, quæ illuminet mentes noſtras, requiritur ſupernaturalis vis, quæ infirma noſtri corporis virtute firmet perpeti. Igitur Natura non ad amorem perfectum, ſed ad Deum toto corde amandum ea, qua potis eſt vi, ac ſtudio, tenetur. Qui amor etſi abſolute perfectus non ſit, perfectus relative erit. Cæterum hæc ſuo loco clariori methodo tractantur.

Digitized by Google

jori, qua poſſumus, vi continere ita, ut ex Dei tantum perfectione voluptatem capiant (1).

§.70.

---

(1) Hæc eſt amoris geneſis. Ad objecti præſentiam, ſive per ſenſationem, ſive per imaginationem, ſive quacumque alia ratione habita, & cognita perfectione aliqua, detur animæ inclinatio, ſeu motus animæ erga objectum perfectum; quam animæ inclinationem, ſive per Harmoniam, ſive per Influxum Phyſicum, ſive veluti per Occaſionalem Cauſam ſequitur in corpora motus Cordis, qui mediis ſpiritibus, & ſanguinis fluxu materialem ideam ſequitur. Hæc eſt prima actio tum Mentis, cum Cordis in ſequendis objectis, quam Appetitum ſive rationalem, ſive ſenſitivum ex objectorum qualitate appellamus. Objecti præſentia, ſi perſeverat in organis ſenſoriis, ſive in phantaſia, ſicut majorem in anima cauſat inclinationem, ſic in corpore celerem ſpirituum, & ſanguinis motum, qui Affectus nominatur. Affectum, ni comprimatur, vel a majori voluptate, vel ab ipſa voluntate non impediatur, ſubſequitur animæ Paſſio, ita dicta, quia anima patitur; vel quia pauliſper amittit dominium dirigendi vires; vel quia vim ſibi ipſi inferre debet, ut eas dirigat, quo vult, & avertere ab objecto paſſionis. Characteres paſſionis ex parte corporis ſunt, primo ad objecti præſentiam ſanguinis, & ſpirituum celerrimus motus, ex celerrimo motu æſtus, ſive æſtuatio, quæ foras aliquando erumpit, & coloris immutatione, vel augmento ſe prodit: ſecundo, ex celerrimo ſpirituum, & ſanguinis fluxu, ſive æſtu nimia ſpirituum attenuatio, & diſſipatio, & tandem ex hoc celerrimo ſpirituum, & ſanguinis fluxu vaſorum dilatatio. Hæc omnia ſicut corpus debilitant, ſic etiam valetudinem minuunt; quæ ſicut certe inſenſibilis morbus ſunt, ſic etiam cauſa, & origo eſſe poſſunt ſenſibilis morbi. Ex parte Mentis ob nimiam animæ inclinationem erga illud tantum objectum cognitio ſemper in eodem verſatur, unde fit prius idea clara, & ex continuata attentione objectum in plura dividitur ope attentionis ipſius, & reflexionis; ac tandem idea ita ſubdividitur, ac eo pacto multiplicatur, ut totam fere repleat phantaſiam. Igitur ex una parte nimis profunda, & lata propter continuum ſpirituum affluxum ex parte cordis, & propter continuam meditationem ex parte animæ efficitur idea objecti; & ex alia parte cor prædominium ſuper facultate appetitiva, quæ ſecum cognoſcitivam ducit potentiam, pauliſper amittit: unde oritur, quod anima ſemper judicet, attendat, ſyllogiſmos nectat ſupra objectum amatum, & ſemper ejus perfectionibus attendat, per ejuſdem notas diſcurrat cognoſcitiva facultas, ſimilitudines in omnibus colligat, ſemper ab aliis objectis rite percipiendis diſtracta, debitam ſuper ipſa attentionem ad-

adhibere faſtidiat, ac proinde nullum rectum judicium. Inſuper cum juſtum rerum cognoſcendarum ordinem ſervare non valeat, præpoſtero judicio omnia miſcet, & confundit; ſtatim enim, vi rite habita novi objecti ſenſatione, animam ſpirituum effluxus deſerit, ſaltem ex parte, in exequendis deinceps ſuper externum objectum cæteris cognoſcendi functionibus, donec ad rectum judicium evadat. Qui ſpiritus ab apperceptione objecti externi natura ſua, & prævia conſuetudine, etiam inopinantibus nobis, deflectunt in objecti amati contemplationem, & quæ hic mens obſervat, in illo obſervare in animum inducit, proprietateſque paſſionis ſuæ aliis etiam appingit: hinc omnia in objecto amato contineri, & omnia illius ſimilitudinem gerere anima præpoſtere judicat. Inſuper cum *hæreat extremis*, veſtigiis paſſionis immerſa cætera præ oculis habere non poteſt, cum intra, non ſupra ideas ſit poſita mens: unde altera præpoſtera judicandi ratio, hæc eſt cæcitas mentis, & recte judicandi trames per paſſionem amiſſus; quæ omnia diſtinctiori methodo in Psychologia traduntur. Ita amoris profani, & ſenſibilium paſſiones in nobis ſine vi efformantur, licet ſine vi expelli non poſſint.

Contra vero in amore rationali Dei, ejuſdemque perfectionum accidit. Nam etſi ope Senſationis, Attentionis, & Reflexionis &c. efformari debeat; attamen appetitus Dei verus, multo magis affectus, non oritur niſi poſt multas mentis operationes. Nam ſpiritualis appetitus, & rationalis affectus ex ſpirituali, non ex materiali mentis operatione, hoc eſt interno ſenſu, principium capit, qui ſive vi, & maxima nobis illata violentia non acquiritur. Nam ut in nota ad §. 37. diximus, non ſine vi abſtrahitur cognoſcitiva facultas: unde vi opus eſſe ad amorem Dei acquirendum, patet. Vi igitur opus eſt, ut abſtrahamur a ſenſibilium voluptate, quæ animam præpedit; Vi ad ſuperandum tædium, quod anima experitur in continuandis Attentionis, & Reflexionis actibus, qui & plures, & continui ſint neceſſe eſt, ad eruendam Dei ideam, ejuſque perfectionum, ſeu potius excitandam; Vi ut perſeveret in hujuſmodi meditatione: raro enim ex idea ſpirituali Dei, ejuſdemque perfectionum voluptas oritur, vel ſaltem tanta, quæ vincat ſenſibilium voluptatem: raro ex ſola Attentione, & Reflexione voluptas vera, & ſincera, quæ cor repleat, & mentem. Voluptas hæc nonniſi ex Contemplatione, vel poſt diuturnam Meditationem habetur. Hæc eſt cauſa, cur anima tot ſenſibilibus diſtracta objectis, Contemplationi, diuturnæque Meditationi inſueta, non ſolum ex Dei cognitione nullam percipiat voluptatem, ſed tædium experiatur, quod eo majus erit, quo quiſque majorem ſenſibilium voluptatem, ut divina meditetur, amittit, quam ſine vi poſſidet, ſine vi acquiſivit, & quæ ſine vi perſeverat in anima. His omnibus accedit, quod ſine multiplici, diuturnaque mortificatione, quæ ſenſus cohibeat, hæc omnia haberi

Digitized by Google

§. 70. Homo debet Deum diligere tota mente.

D. Nil tam homini intrinſecum, quam tendere ad felicitatem ex §. 9. Solus Deus poteſt eſſe objectum felicitatis, ac proinde ſolus finis ex §. 40. Tendit ergo ſemper natura ſua ad ſolum Deum, ut ex ipſo voluptatem capiat; omnes facultates eodem determinantur fine, quo natura ipſa, cui inſunt ex §. 15. Ergo omnes potentias facultatis cognoſcitivæ ſemper debemus dirigere ad Deum, ut ex ipſo voluptatem capiant, & ex frequentatis actibus oritur diſpoſitio ex §. 64. Ergo debemus diſponere potentias facultatis cognoſcitivæ ita, ut ex ſolo Deo voluptatem capiant. Diſpoſitio percipiendi voluptatem ex alterius perfectione eſt Amor ex §. 59. Diſponere omnes potentias facultatis cognoſcitivæ, ut ex ſolo Deo voluptatem capiant, eſt Deum diligere tota mente ex §. 67. Ergo homo debet Deum diligere tota mente. Quod erat demonſtrandum.

§. 71. Debemus Deum diligere toto Corde.

D. Eodem modo, quo ſuperior Propoſitio.

§. 72. Debemus Deum diligere omnibus Viribus

D. Solus Deus eſt finis naturæ humanæ ex §. 4. Ergo ſi non ſemper, nec omnes omnino vires, hoc eſt majori, qua poſſumus, intentione tum Mentis, tum Cordis potentias diſponamus, ut ex Dei perfectione voluptatem capiant, contra finem Naturæ adhibentur: Ergo debemus Deum diligere omnibus Viribus (1).

CA-

---

beri non poſſunt. Jam vero Deum omnibus Viribus diligere nihil aliud eſt, niſi vim omnem exercere, omni conatu incumbere ad repellenda ea, quæ obſunt, & omni vi, & alacritate functionibus animæ exercendis, unde vera Dei idea, & perfectio reſultat, inſudare: vel minimus virium defectus defectum Amoris arguit, qui contra Naturam eſt, & Amorem ipſum imperfectum reddit, ut inferius demonſtrabimus.

(1) Tria breviter notanda veniunt. Ideo me uſum eſſe Crypticis Demonſtrationibus, ne omnia verba ad ſingulas referens propoſitiones, unde liquida erueretur demonſtratio, tædio eſſem legentibus, quibus demonſtrationem ex iis, quæ fuere præmiſſa, ſatis intelligere datum eſt

ita,

ita, ut ipſis propoſitionibus ad eorundem intelligentiam opus non fuerit, nedum demonſtrationibus.

Secundo: Etſi natura humana tendat ad felicitatem, nempe Deum, unde præceptum naturæ ipſum tota mente, toto corde, omnibus viribus diligendi deſcendit; attamen cum ipſa natura imperfecta ſit, imperfectaſque cognoſcitivæ facultatis habeat potentias, Deo frui modo Abſolute perfecto non poteſt; dixi, modo Abſolute perfecto, & merito quidem; nam Reſpective perfecta eſſet hæc beatitudo: Reſpective enim tunc perfecta beatitudo eſt, cum naturæ appetitus, & potentiæ omnes ea perfruantur voluptate, quam appetunt, & cujus capaces ſunt; cum vero nulla omnino deſit voluptas, quæ re exiſtat, vel exiſtere queat, tum Abſoluta erit felicitas. Hinc cum omnes reſpectivæ facultates gaudio repleantur, vere felix erit Natura, cui hæ inſunt, etiamſi propter ipſius limitationem, & eſſentialem imperfectionem detur aliquod aliud gaudium, ut ulterius, quod ipſa non comprehendat. Jam vero neminem Philoſophorum fugit, cognitionem humanam imperfectam eſſe, & extrinſecam rerum faciem, non intrinſecam naturæ vim cognoſcere, & rimari ipſi datum eſſe; ac proinde Deum extrinſece, non intrinſece cognoſcere poſſe: Summa enim cognitio in homine, juxta Pſychologiæ, & Ontologiæ principia, ea eſt, quæ a principio contradictionis pendet, & ad ipſum reducitur; ſcilicet dum aliquod mihi eſſe, vel exiſtere videatur, ſimultanea idea de non eſſendo, vel non exiſtendo cum illa non componitur; nec certitudinis methaphyſicæ gradum traſcendit, ac proinde Infallibilem rerum non præbet intuitum. Infallibile rerum judicium ab intrinſeca rerum cognitione pendet. Metaphyſica Certitudo ita naturam rerum, & prædicata extrinſece lambit, ut contrarium repugnare videatur cognoſcenti. Res in ſe veræ ſunt, vel falſæ cognoſcenti homini, ob imperfectionem cognitionis, methaphyſice Certæ eſſe poſſunt, non Veræ, & Infallibiles. Cognitionis intrinſecæ eſt radices ultimas rerum, & principia prout in ſe ſunt comprehendere. Hæc ſoli Deo, illa homini competit. Dei cognitio, quæ pertingit omnia a fine uſque ad finem, & omnia prout re ſunt, radicitus Patri repræſentat, & comprehendit, dicitur Imago Patris, dicitur Sapientia, & Virtus Patris, Deumque ipſum incomprehenſibilem, comprehendit; Quæ ſi hominibus, ſibi prælectis, per aliquos neceſſarios limites ſe communicet, ſuique fulgoris radium immittat, Comprehenſores efficit: *Nemo novit Patrem niſi filius, & cui voluerit filius revelare. Tunc cognoſcam ſicut & cognitus ſum*: &, *In lumine tuo videbimus lumen*: &, *Lucerna ejus eſt Agnus*. Eadem cognitio minima ſui derivatione communicata fideles reddit, ſcilicet Senſum, eumque infallibilem verum tribuit, non intuitum: *Dedit*, ait Joannes, *nobis ſenſum, ut cognoſcamus verum, & ſimus in vero Filio ejus*, & apud D.Paulum: *fides eſt ſperanda-*

Digitized by Google

darum ſubſtantia rerum , argumentum non apparentium. Eadem ratione cognitio hæc dividitur, qua ipſa cognitio humana, ſcilicet in Senſum, Cognitionem, & Analyſim, ſeu potius Profunditatem: per Senſationem certi reddimur de exiſtentia objecti; per Cognitionem ipſum ab omni alio diſtinguimus; per Analyſim, ſeu Profunditatem omnes omnino ejus partes enumeramus. Fides dat ſenſum infallibilem rerum ſpiritualium; Senſatio dat certitudinem rerum materialium: Viſio intuitiva cognoſcit res, pro ut in ſe ſunt; Cognitio humana externam naturæ, & attributorum faciem clare percipit: Comprehenſio pertingit omnia a fine uſque ad finem. Analyſis partes omnes, & attributa extrinſecus enumerat. Jam vero Natura extrinſeca tantum cognoſcendi facultate pollet; extrinſecum proinde Dei intuitum appeteret, ut ex ipſo voluptatem caperet perenni contemplatione. Quod ubi aſſequeretur, ſiſteret omnis appetitus, nec, quod ultra appeteret, remanet. Hoc unum erui poteſt, ubi ſola ſpectetur natura hominis. Cæterum, quia reapſe eſt elevata, inde oritur, quod quamvis perfecta cognitione extrinſeca numquam contenta ſit; ſed, ut docet Sanctus Thomas, ea ipſa incitetur ad appetitum Cognitionis Intrinſecæ, ſeu Intuitivæ. Utrum autem ſupernaturalis detur divini Luminis communicatio, & exiſtat, meum non eſt hic inquirere. Loco ſuo ſatis demonſtrata eſt ex vi divinorum attributorum impoſſibilitas, quod ajunt, ſtatus puræ naturæ.

Certum eſt exploratumque ex iis, quæ hactenus demonſtravimus, præceptum ſolum Deum inquirendi & in ipſo quantum potis eſt conquieſcendi naturale eſſe. Quod natura ipſa nos docet demonſtratione, experimur appetitu, ſuggerit inſtinctu. Utrum detur alius Deum inquirendi modus, aliaque ſupernaturalis, & perfectior Deo ipſo perfruendi ratio, ſicut Religionis naturalis non eſt inſtitutum, & munus, ſic quod probare debeant Religionis ſupernaturalis Doctores, & Magiſtri, dilucide apparet. Ex his, quæ hactenus ſtatuimus, intelligitur ſicut Religionis ſupernaturalis exiſtentiam probandi Chriſtianis Theologis onus incumbere, ſic probandum etiam iis eſſe, quod præceptum diligendi Deum tota Mente, toto Corde, omnibus Viribus non ſtatuat, ſed tantum ſupponat modum, eumque nobiliorem diligendi Deum, qui cum ex cognitione nobiliori proficiſcatur, & perfectiori virtute, ſic perfectiorem, & nobiliorem voluptatem generat, perfectiorem, & ex omni parte abſolutam Felicitatem, & finem promittit; quæ omnia naturam non deſtruunt, ſed perficiunt: quo enim nobilior cognitio, eo perfectior natura; Cognitio enim ſupernaturalis infallibilitatem præbet, licet non evidentiam, juxta ſuperius dicta; cognitio vero humana ad ſummum certitudinem methaphyſicam. Religio igitur ſupernaturalis non deſtruit, ſed perficit naturam ex parte intellectus. Ex parte cordis homo nec novit umquam, nec poteſt inter mundanas varietates, & affectiones, ita cordis potentias ab illis abſtrahere, & in unum colligere,

Digitized by Google

ut nullus, ne inſenſibilis quidem, interea niſus ad inferiora detur, & ſit. Jam vero actus tum perfectus abſolute exiſtit, cum omnes omnino potentiæ in unum conſpirant, nec ullus, vel inſenſibilis inter ipſas datur diſſenſus. Quot vero ſenſationes, tot in corde affectiones, & paſſiones; quot paſſiones, tot in anima tendentiæ: Unaquæque enim paſſio, & impreſſio, dum defluunt ſpiritus, & naturalem curſum peragunt, eorum ſibi partem vindicat, ac veluti concludit; & quo major ad ſenſibilia attentio, eo major ab ipſis ſpiritus abſtrahendi difficultas in anima. Paſſionum etiam ſenſibilium numerum quis novit unquam, aut dinumeravit in corde ſuo? Quis potuit varias, & diſſidentes ſenſibilium impreſſiones evellere radicitus? Vel minimus defectus in directione actionis, & in unitate actus, imperfectum arguit ipſum actum Amoris. Unde ad actum abſolute perfectum ex parte Cordis eliciendum Virtus ſupernaturalis requiritur, quæ infirma noſtri corporis virtute firmet perpeti, pacemque donet protinus, ac in corde inhabitet, ut expulſa affectuum varietas, & tendentiarum diſſidentia non redeat. Cæterum Theologorum eſt tum ex Scripturis, tum rationibus ab ipſa natura petitis neceſſitatem, & exiſtentiam ſupernaturalis Auxilii. Ex his vero, quæ hactenus adnotavimus, dilucide apparet, quibus contineatur limitibus naturæ præceptum diligendi tota Mente, toto Corde, omnibus viribus: ſcilicet, etſi potentias omnes facultatis cognoſcitivæ, & inſuper facultatis appetitivæ omni niſu, & conatu unice ad Deum dirigere, & ſemper debeamus, ut in notis §. 72, 73, 74. innuimus, ita, ut vel minimus voluntarius contra hanc legem actus, vel culpabilis negligentia, contra Naturam ſit; attamen ſi non perfecte, & infallibiliter Deum, ejuſdemque perfectiones Senſu Veritatis, hoc eſt fide, vel Intuitu, hoc eſt, pro ut eſt in ſe, aſſequamur; inſuper ſi in facultate appetitiva non omnes omnino vires colligantur, & unitas perfecta affectuum in directione ad Deum non habeatur; quamvis perfectis actionibus, & ad perfectam felicitatem tendentibus adſcribi non poſſit actus hujuſmodi, non inde peccato, hoc eſt voluntariæ, & culpabili legis naturæ tranſgreſſioni debet annumerari: actus enim hic, etſi abſolute perfectus non ſit, relativam tamen perfectionem, nempe humanam ſibi vindicat. Quomodo vero actus hic relative perfectus, qui ex fide non eſt, neque ex Charitate, admiſſa revelatione, vocari debeat peccatum, meum non eſt definire.

Tertio: Etſi Natura humana in reintegrandis actibus, & in continua ſibi inferenda vi, ut juxta Naturæ ordinem actiones ſemper ad Deum dirigat, vires amittat, ac aliquando deficiat in via, unde neceſſitas vires iterum colligendi, ortum ducit; attamen hæc ipſa virium refectio ſemper ad finem ultimum dirigenda, ſi a Naturæ lege deficere nolit. Quæ infirmitas ſicut ab ignorantia, & præconcepta conſuetudine crea-

Digitized by Google

CAPUT V.

De Gloria Divina promovenda, ſeu de Naturalibus ſignis Amoris Divini.

§. 73. QUi alterum amat, ejuſdem perfectionem promovet (1).

I 2 §. 74

creaturas extra Deum concipiendi, eaſque in ſeipſis, non in Deo amandi, primam ducit originem; ſic ipſis ignaviæ tenebris paulatim expulſis ope Meditationis, & habitu Deum ſemper in omnibus perlegendi, diligendique acquiſito, neceſſitas avertendi Mentis potentias, & Cordis facultates a contemplando, diligendoque Deo paulatim evaneſcet, imo difficultas in nobis oriri deberet Deum ipſum in omnibus non videndi, ac proinde cor ſurſum non dirigendi. Hinc quæ objective refectio virium, cibus ſcilicet, potus, ludus, ſubjective nova ratio Deum in omnibus contemplandi, novus ignis, qui corda noſtra novo Dei amore ſuccenderet, in nobis fierent, ſicuti vere ſunt.

(1) *Da amantem, & ſentit, quod dico*: ait Auguſtinus. Ex objecto & cognitione perfectionis oritur, ut diximus, voluptas; ſicut ex interna potentiarum diſpoſitione ad percipiendam voluptatem ex alterius perfectione oritur Amor, & Dilectio. Quo major erit perfectio cognita, eo major Voluptas; quo major diſpoſitio interiorum facultatum, eo majori impetu feruntur facultates ad percipiendam voluptatem ex alterius perfectione, ac proinde major Amor, & Dilectio. Hæc eſt natura Amoris, & Voluptatis: hinc in alterius perfectionem contemplante, voluptatemque percipiente, etiam non advertente, & inopinante oritur appetitus augendi, dilatandique perfectiones, ut augeatur, & dilatetur in ipſo voluptas: nam animus, & cum eo potentiæ omnes diſpoſitæ ſunt, & feruntur intrinſeco conatu ad percipiendam voluptatem: ex alia parte natura ipſa urget uſque, & impellit eaſdem facultates ad majorem percipiendam voluptatem, quouſque repleatur ita, ut ipſa potius intret in gaudium, quam gaudium intret in ipſam. Intrinſecus ergo Amor eſt appetitus augendi, dilatandique perfectiones amati, donec ex multitudine perfectionum, quas ipſa contemplatur, repleatur affatim gaudio, & lætitia, ut ſuperabundet potentias amantis, & ſiſtat appetitum, nec ultra, quo tendat Natura, ſuperſit. Hic ſtatus eſt, & perennis ſedes Beatitudinis. Deus licet in ſe infini-

§. 74. Perfectio alia Realis eſt, alia Experimentalis; ſeu quod idem eſt, alia pertinet ad Mundum Adſpectabilem, alia ad Mundum Intelligibilem. Perfectio Experimentalis eſt Conſenſus in varietate.

§. 75. Perfectio Realis alia Eſſentialis, alia Accidentalis. Eſſentialis eſt quidquid Poſitivi eſſe rei conſtituit.

§. 76. Perfectio Accidentalis alia Intrinſeca, alia Extrinſeca. Perfectio Accidentalis Intrinſeca eſt quidquid Poſitivi ab extrinſeco naturæ advenit, ipſique inhærendo congruit.

§. 77. Perfectio Accidentalis Extrinſeca eſt quidquid Poſitivi extra naturam rei exiſtit, ſed vel ab ipſa per relationem emanat, vel ad ipſam per relationem reducitur (1).

§. 73.

finitas contineat perfectiones, tamen reſpectu noſtri eas tantum habet, quas aſſequimur cognitione noſtra. Major, vel minor Dei cognitio ex acceſſu, vel receſſu ab ipſo, vel ad ipſum pendet: acceſſus vero, vel receſſus ab exercitio noſtrarum facultatum: actiones ergo noſtræ, & exercitium noſtrarum facultatum efficit, ut plures, vel pauciores ſint perfectiones Dei in nobis, ſcilicet augeatur, vel minuatur Deus in nobiſmetipſis juxta illud: *Magnificat anima mea Dominum, & exultavit ſpiritus meus in Deo ſalutari meo.* Quoadusque non augeantur perfectiones Dei in nobis, ut ex illarum contemplatione animus nedum voluptatem, ſed & gaudium, & lætitiam, quæ excedat omnem ſenſum, & appetitum, obtineat; ſemper in nobis dari debet appetitus augendi, dilatandique perfectiones divinas tum intrinſecas, tum extrinſecas; quæ dilatatio, & augumentum ab exercitio noſtrarum facultatum dependet. Signa ergo veri Amoris, & Dilectionis Dei ſunt promotio, & augumentum divinarum perfectionum in terris, uſque dum ad ſtatum ſuæ felicitatis pervenerit Natura humana. Nam ſtatus felicitatis firmamentum eſt, in quo ceſſat ordo, & ſucceſſio actionum, & cauſarum, in qua ſucceſſione & ordine Mundus hic adſpectabilis naturam, & eſſentiam ſuam agnoſcit.

(1) Non ſatis diſtincte communis loquendi uſus vocabula Boni, & Perfectionis fixit. Aliquando Bonum pro gradibus perfectionis ſumitur, aliquando pro ipſa Perfectione, ad alia quoque ſignificanda uſurpatur. Exponam prius breviter, quænam fuerit veterum Philoſophorum ſententia, quænam Recentiorum, deinde meam. Veteres Philoſophi inter Bonitatem, & Perfectionem Realem nullum agnoſcebant diſcrimen: Nam Verum Eſſe, vivum eſſe debere aſſeverabant, ac proinde diffuſivum ſui,

ſi

ſi diffuſivum , alia a ſe perficere debere , ac proinde Bonum . Bonum ergo , & perfectio idem per ipſos ſonabat ; niſi quod Perfectio inhærentem naturæ virtutem denotat ; Bonum vero ipſam virtutem alios perficientem . Recentiores, ſcilicet Wolfiani , inter Bonum , & Perfectionem diſcrimen agnoſcunt: Perfectio per ipſos eſt Conſenſus in varietate ; Bonum vero , quod nos , ſtatumque noſtrum perficit . Nos quid de Bono ſentiendum , agemus infra, ubi de Officiis erga nos ipſos ; Perfectionis ideam nunc enucleandam aſſumimus . Perfectio alia Realis eſt ; alia experimentalis . Rurſus ſubdividitur in Eſſentialem , & Accidentalem . Hæc inſuper in Intrinſecam , & Extrinſecam . Realitas in Philoſophia eſt verum Eſſe, & Quidditas prima, & vera , quæ ſenſus etiam hominis fugit , ac proinde in Phantaſia ſedem non habet , nec idolum ; Experimentale eſt quidquid eſt ſenſibus obnoxium , & hominibus experiri datum . In Reali , quod vere eſt , Perfectio eſt . Major, vel minor Perfectio deſumitur ex majori , vel minori limitatione, ſeu privatione . Cum vero Deus vere ſit , & infinitus , omni carens limitatione , Perfectiſſimus dicitur , Creaturarum vero Eſſe , cum intrinſecam involvat privationem , & limitibus ex omni parte ſcatere debeat , Perfectiſſimum exiſtere nequit . Contra in experimentali , ſeu in adſpectabili mundo Perfectio eſt Conſenſus in varietate . Nam Entia, quæ ſenſibus ſubjacent , omnia compoſita ſunt , nec in compoſitis ex pluribus inter ſe diſtinctis alia perfectio expectari poteſt , niſi ut in unum conſentiant , ſicut plurimorum diſſonantia pro Imperfectione habetur . Major , vel minor Perfectio ex majori vel minori conſenſu , ex pluralitate , vel paucitate Entium deſumitur . Sic in Muſicis , quo plures voces , & inſtrumenta in unum conſpirant, eo major erit Perfectio . Sic in Architectura , quo plures partes in unum conveniunt , & quo major conſenſus , eo major erit Perfectio ita, ut , ſi nullus omnino detur diſſenſus, Perfectio ſit abſoluta ,

Perfectio Realis propria ſimplicium ; Experimentalis propria corporum . In multitudine enim dari poteſt conſenſus , vel diſſenſus ; in ſimplicibus major, vel minor virtus, quæ in poſitivo conſiſtit .

Perfectio Realis, aut Subſtantialis eſt , aut Accidentalis . Subſtantialis eſt Perfectio , & ipſum Eſſe rei : quod oculos fugit , juxta ea , quæ in Ontologia firmavimus , quodque Naturam , & ſubſtantiam rei conſtituit ; nempe poſitivum illud, quod vi ſuæ vitæ, & actionis radix eſt, & fundamentum eorum , quæ conſtanter in ipſo obſervamus , quæque Attributa appellamus . Hæc ſenſibus obnoxia, illud non item . Accidentalis Perfectio alia Intrinſeca, alia Extrinſeca eſt : Perfectio Accidentalis Intrinſeca eſt aliud Eſſe Extrinſecum primo additum , ac proinde eſt alia vera Perfectio , quæ naturam non conſtituit , ſed ſuperveniens ipſi inhæreat . Cum vero Deus Eſſe plenum , Eſſe infinitum ſit , & abſoluta Perfectio ; ejus natura , & ſubſtantia nullum verum bonum

extra

§. 78. Benignum aliorum de nobis, noſtriſque Judicium dicitur Exiſtimatio.

§. 79. Benignum aliorum de nobis, noſtriſque Judicium, verbis expreſſum dicitur Laus.

§. 80. Benignum aliorum de nobis, noſtriſque Judicium factis, vel geſtibus expreſſum dicitur Honor.

§. 81. Conſentiens bonorum, vel recte judicantium Laus dicitur Gloria.

§. 82. Hinc Laus Divina eſt rectum, de Deo, diviniſque attributis judicium verbis expreſſum; ſicut Honor divinus eſt rectum judicium de Deo, diviniſque attributis factis ex-preſ-

---

extra ſe habere poteſt, quod in ipſa non contineatur, quodque ipſi ſuperveniens poſſit eam perficere; unde nec Accidentalis Perfectio Intrinſeca ipſi accedere poteſt. Contra vero Creaturis, utpote limitatis, poteſt præter alia accedere Gratia, ſeu Lumen Menti, & Vigor ſupernaturalis Cordi, quæ vere perfectiones ſunt, & extra ſuam naturam, quæ ſupervenientes ipſam non conſtituunt, ſed perficiunt.

Accidentalis Perfectio Extrinſeca eſt quidquid boni extra naturam rei exiſtit, nec ipſi inhæret, ſed vel ex ipſa per relationem profluit, vel ad ipſam per relationem reducitur: ſic Amor, Gloria, Honor; Amor enim in amante, non in amato eſt, nec illius naturam conſtituit, nec ipſi inhæret, ſed tamen, quia cognita amati perfectione, in amante oritur, conſideratur tanquam extenſio boni ipſius amati, & naturæ ejuſdem perfectio. Jam vero licet in perfectione Accidentali Extrinſeca nihil rei ſuperveniat objecto, nihilque detrahatur per extrinſecam imperfectionem, puta Vituperationem, Odium; attamen quia in amante per gloriam, & honorem extenditur idea perfectionum objecti amati, vel ſaltem confirmatur, oritur propterea appetitus eas amato objecto acquirendi, ſicut imperfectionem extrinſecam avertendi. Intrinſecum amori eſt perfectionem quamlibet objecto amato pro viribus acquirere, & augere, niſi quod in amore ſenſitivo, & creaturarum quamcumque objecto perfectionem deſideramus, præter alienum amorem. Nam cum creaturarum affectio ſit limitata, alieno amore valde timetur; ne vel amittatur, vel minuatur affectus amati erga nos; hinc Zelotypia oritur; quod in Deo timeri non poteſt. Nam cum Deus infinita dilectione erga nos ſemper præditus ſit, & aliena dilectione, ne imminuatur, vel amittatur, dubitare ſit nefas; hinc alienum amorem non timemus, imo eundem erga Deum ab omnibus, etiam nobis amantibus, deſideramus.

Digitized by Google

preſſum; ſicut etiam Gloria divina eſt conſentiens laus, & honor recte judicantium de Deo, divinisque attributis (1).

§. 38.

(1) Nihil rei, ſeu poſitivi habere per exiſtimationem noſtri in nobis ipſis, per laudem, & honorem, ſed totam ſitam eſſe in alterius benigna, & grata de nobis opinione, notum unicuique. Prætereuntibus enim ſignis præterit honor, prætereuntibus verbis, præterit laus, obliterato de nobis benigno judicio, vel in contrarium converſo, præterit etiam exiſtimatio. Inſuper cum bonum, & benignum judicium de nobis, noſtriſque a varia ratione, qua quiſque in interiori eſt affectus, dependeat, laus, & honor variant pro diverſa affectione judicantium. Variant etiam reſpectu noſtri, cum enim Exiſtimatio, Laus, Honor in benigno judicio de noſtris potiſſimum ſita ſint, nec eadem ſit in omnibus de bono ſententia pro diverſa ratione affectuum, ex aliorum judicio de nobis, noſtriſque factis expreſſo verbis, vel ſignis, unuſquiſque laudem ſibi, vel vituperationem vindicat, honorem, vel ignominiam. Sunt, qui ſummum bonum in Potentia ponunt; hinc horum laus, & exiſtimatio ſita eſt in eo, quod habeantur Potentes, & Dominantes in ſæculo. Alii in auri, & argenti affluentia, & omnem gloriam collocant in eo, quod Divites reputentur. Quidam in rerum, quas agunt, magnitudine, & cum ſe negotiis immergunt maximi momenti; ſuam proinde inter populos oſtentant dignitatem, & gradum inter ſæculi poteſtates. Quidam denique in litteris excolendis, non propter Deum, ſed propter ſeipſos; horum itaque exiſtimatio, & laus ex aliorum opinione emanat, quatenus benignum ſit judicium; Benignum autem nobis tunc erit, cum ideæ, quam in nobis effinximus de bono, congruit. Quibuſdam enim vere benignum de nobis, noſtriſque judicium vituperatio, & ignominia videtur, ſicut e contrario. Quapropter ſi quis velit Exiſtimationem, Laudem, Honorem generaliter definire, generalibus verbis benigni de nobis, noſtriſque rebus judicii debet definitionem concipere, ut omnes in ea ſpecies, & individua contineantur.

Exiſtimatio, Laus &c., ut diximus, pendent ab aliorum judicio; variant etiam reſpectu noſtri. Nam quod erga alios benignum eſt judicium, iniquum poteſt eſſe reſpectu noſtri. Cum vero loquimur de Deo, cujus verum Eſſe, eſt ſolummodo vera Perfectio, nihil habet cum hominum varia opinione ejus Gloria. Cum enim Deus neceſſario ſit cumulus, & pelagus omnium perfectionum, ſatis, quod hominum de eo, & ejus attributis judicium rectum ſit, ut ſit ſimul benignum: quia, ſi ſit rectum, debet neceſſario ſemper illi favere; & quodlibet falſum de eo judicium, non laudem, & gloriam, ſed ignominiam illi parit, & dedecus. Non ſic de hominibus: nam Judicium etiam falſum de noſtris

§. 83. Dei Exiſtimatio, Laus, Honor, & Gloria ſunt Perfectiones Accidentales Extrinſecæ.

D. Quod ſit perfectio Exiſtimatio, Laus, Honor, & Gloria, clarum unicuique ex Philoſophia Practica Univerſali: quod ſit Accidentalis, eaque Extrinſeca, demonſtratur.

Et primo, Exiſtimatio eſt Rectum Creaturarum de Deo, diviniſque attributis judicium ex §. 82. Rectum Creaturarum de Deo, diviniſque attributis judicium Dei naturam, & eſſentiam non conſtituit, ſed ſupponit, ut patet; ergo Exiſtimatio divina eſt Perfectio Accidentalis ex §. 75, & 76. quod eſt primum.

Idem dic de Laude, Honore, & Gloria.

Judicium rectum de Deo, diviniſque attributis non ipſi inhæret, ſed in judicante reſidet ex una parte; ex alia parte hujuſmodi judicium, quia rectum, ideo datur in homine, quia Dei natura perfectiſſima eſt, ac proinde ab ipſo per relationem oritur: Quidquid perfectionis extra aliquem datur, ſed ab ipſo per Relationem oritur, vel ad ipſum per relationem reducitur, eſt Perfectio Accidentalis Extrinſeca ex §. 77. Ergo Dei Exiſtimatio eſt Perfectio Accidentalis Extrinſeca. Idem valet de Laude, Honore, & Gloria. Ergo Dei exiſtimatio, laus, honor, & gloria ſunt Perfectiones Accidentales Extrinſecæ (1).

§. 84.

ſtris rebus, & actionibus poteſt afferre exiſtimationem, & laudem; & judicium verum, dedecus, ac ignominiam. Diximus rectum de Deo judicium, & non *Veri* vocabulo uſi ſumus, quia tunc eſt verum judicium, cum realitati reſpondet, & ipſam comprehendit; Rectum autem, cum etiam confuſe objicit ſibi verum: unde confuſa idea objecti, non falſa quidem, ſed recta, quia re attingit ipſum; non ideo tamen Vera dicenda. Cum igitur hominum judicium non poſſit unquam divinis perfectionibus congruere, nec uni quidem; nam ut illarum una vere, ut eſt, cognoſcatur, omnes debent cognoſci; ideo in definitione ſtatuimus, divinam laudem in judicio recto conſiſtere verbis expreſſo: & quo minus erit confuſa cognitio, eo intentior erit divina exiſtimatio. Quapropter licet exiſtimatio divina in Rectitudine judiciorum noſtrorum erga divinas perfectiones ponenda ſit, poteſt tamen hæc augeri, vel minui, prout magis, aut minus illius perfectiones cognoſcuntur.

(1) Divinorum attributorum, & naturæ divinæ Exiſtimatio, ſicut

§. 84. Tenemur pro viribus promovere gloriam Dei.

D. Qui alterum amat ejuſdem perfectionem promovet, ex §. 73. Gloria eſt perfectio &c. ex §. 83. Ex alia parte tenemur Deum amare toto corde, tota mente, omnibus viribus, ex §. 70, 71, 72. Ergo tenemur Dei gloriam pro viribus promovere.

§. 85. Atheos, ut Dei exiſtentiam fateantur, adigere pro viribus tenemur.

D. Tenemur pro viribus promovere Gloriam Dei ex §. 84. Gloria Divina eſt conſentiens laus, & honor recte judicantium hominum, de Deo, diviniſque attributis, ex §. 82. Ergo tenemur pro viribus promovere conſentientem laudem, & honorem virorum recte judicantium de Deo, diviniſque attributis: rectum judicium de Deo, diviniſque attributis haberi nequit ſine prævia cognitione ipſius, ejuſque exiſtentiæ, ex regulis Logicæ; Atheus eſt, qui nullam Dei cognitionem habere curat, vel eundem exiſtere negat, ex §. 24. Ergo ut obtineatur ab Atheis conſentiens laus & honor de Deo, diviniſ-

K

cut etiam Laus, & Gloria potius pertinent ad noſtram felicitatem, quam ad augumentum voluptatis in Deo: Deus enim ab æterno, utpote Ens neceſſarium, & immutabile, in ſuo eſſe omnes concludit perfectiones ab imperfectionibus ſejunctas; nec temporum viciſſitudine, aut creaturarum operatione exurgere poteſt ulla perfectio vera, quæ ab ipſo non ſit, quæque in ejus ſinu, & eſſe concluſa non fuerit; imo *Omne bonum deſurſum eſt a Patre Luminum, apud quem non eſt tranſmutatio, nec viciſſitudinis obumbratio*. Nec ſolum jam ab æterno in ſe omnes ſimplicitate ſua claudebat perfectiones; ſed a fine uſque ad finem pertingebat, & unico Sapientiæ intuitu perſpexit ſemper omnes rectas cognitiones, & benigna judicia, quæ de eo in tempore ex ipſius munere, & bonitatis effuſione homines eſſent efformaturi; ideoque voluptatem, vel perfectionem ullam in viciſſitudine temporum de novo parare ſibi non poteſt: unde recta hominum judicia, etiam ſignis, & verbis expreſſa, in quibus Laus, & Honor ſita ſunt, ſicut etiam conſentiens Laus, & Honor, in quibus poſita eſt ejus Gloria, augumentum voluptatis ipſi adducere nullum poſſunt.

Contra homines, quorum natura fertur ad cognoſcendum Deum, ut ex hac cognitione voluptatem perfectam, firmam, & ſine tædio acqui-

viniſque attributis, obtinendum prius rectum judicium; Ut obtineatur rectum judicium, debemus prius eis ingerere veram Dei cognitionem, quæ ex Theologia Naturali involvit exiſtentiam: ergo Atheos, ut Dei exiſtentiam fateantur, adigere pro viribus tenemur.

§. 86. Rudes hic, ſeu ignorantes dicuntur, qui etſi Deum exiſtere cognoſcant, rectum de Deo, diviniſque attributis judicium, vel de aliquibus ſaltem, non habent.

§. 87. Ignorantes, ſeu Rudes inſtruere ad divinæ gloriæ promotionem pertinet.

D. Gloria eſt conſentiens laus & honor recte judicantium ex §. 82 Laus divina eſt rectum de Deo, diviniſque attributis judicium, ſignis expreſſum ex §. 82. Rudes de Deo, diviniſque attributis rectum judicium non habent ex §. 86. Ergo non poteſt ab eis obtineri laus, & honor divinus. Ergo a for-

quire poſſit, cum non valeant, aut ſemper, aut omnes cognoſcere Dei perfectiones, voluptatem eam, quam ipſis negat imbecillitas propriæ naturæ, haurire poſſunt in contemplanda divinarum perfectionum imagine, quam res externæ exhibent, aut ex cogitationibus aliorum, per literas, voces, vel per ſigna patefactis, ut ſic ideæ divinarum perfectionum ſopitæ, latitanteſque excitentur ſine violentia, aut in contemplandis, quæ ſe paſſim objiciunt, creatarum rerum perfectionibus intimum in nobis gaudium intendatur. Aliorum recta de Deo, diviniſque attributis judicia vocibus, vel aliis ſignis expreſſa, ſi cum noſtris congruunt, ſenſum, & imbecillitatem mentis noſtræ juvant, & in hac ipſa congruentia, nova animam noſtram voluptate perfundunt. Si illuſtriora ſint judicia, & plures exprimant perfectiones, quam noſtra, augent in nobis ſine labore cognitionem Dei, ejuſque attributorum; Gloria Dei cum ſit conſentiens laus, & honor recte judicantium hominum, mentem noſtram, quæ imbecillis eſt, & propterea dubitationibus obnoxia, confirmat, ac roborat. Ex his, & aliis rationibus, quas brevitatis gratia omitto, intelligitur, Gloriam Dei, Laudem & Honorem magis ad noſtram conferre felicitatem, quam ad perfectiones in Deo, aut voluptatis in ipſo incrementum. Hinc etiam apparet, quam innatum ſit homini, ejuſque naturæ, quæ unice felicitatem appetit, ingenitum, Gloriam Dei quærere. Legem igitur hanc in viſceribus gerimus ipſius noſtræ naturæ, nec poteſt eam natura amovere, aut excutere, quin ſimul excutiat, amoveatque Amorem Dei, & cum Amore ſopitum appetitum veræ felicitatis.

a fortiori gloria divina. Ergo ad promotionem gloriæ divinæ pertinet Ignorantes, & rudes inſtruere.

§. 88. Sicut qui alterum amat ejuſdem perfectiones promovet ex §. 73. ita etiam imperfectiones ab ipſo pro viribus arcet, vel, ubi facultas deeſt, quam longiſſime abeſſe cupit (1).

(1) Hoc experientia ipſa quotidie nobis ſuggerit; & perſcrutan-
dorum affectuum tutiſſima, & facillima dux Experientia. Affectus ge-
neſim ſuam e corde petunt; & propterea in mundo adſpectabili verti-
tur eorum doctrina. Quod ad adſpectabilem mundum pertinet, expe-
rientia, & animadverſione percipitur firmius, quam intellectu, & ra-
tione. Statuta per experientiam affectuum natura, poteſt deinde acce-
dere intellectus inveſtigatio, & ratio locum habet; vi cujus origine
prima comperta, comprobetur, quod jam certum eſt, & intellectus,
& phantaſia in conſenſum rediguntur; Phantaſia experientia, Intelle-
ctus ratione confirmantur. At ſi latet origo vera, & in inveſtigatione
deficit vis intellectiva, aut minus certam adinvenit rationem, non
ideo naturales affectus in dubium vocamus. Ideo præcedentem propoſi-
tionem, & alteram huic adjunctam in §. 73. demonſtrationi non com-
miſi, ſed experientia ipſa poſtulavi; quia rationem affectum inquirere
nimis longum, & unicuique ſat aperta experientia propoſitionis hujus.
Satis eſt Amorem noſſe quemcumque ſive ſenſu, ſive ratione aquiſi-
tum, ſive profanum, ſive ſanctum, quo certi ſimus, eum, qui amat,
non ſolum curare ſollicite, ut promoveat in amato objecto perfectio-
nes, verum etiam niti, ut omnes cujuſcumque generis imperfectiones
internæ, ſive externæ ab ipſo amoveantur. Quod ſi rationem, unde
hi gignuntur affectus, penetrare velimus, opinor non multum in hac
perquiſitione intellectum hominis fatigandum. Cum amans ex contem-
plandis amati objecti perfectionibus voluptatem percipiat, & cum in-
terna inclinatio, qua fertur ad hanc voluptatem, cupiat ibi tot inve-
nire perfectiones, quot poſſint explere plene voluptatem, ut omnis
quieſcat appetitus, & plenus conſiſtat in ſtatu ſuæ felicitatis; ſi tot
non inveniat, quot explere poſſint, ſupereſt appetitus videndi majores
perfectiones, & augendi, quas videt. Hinc etiam oritur appetitus con-
ſpiciendi objectum in quacumque re, quæ ſenſibus objicitur, atque in
quocumque objecto omnes perfectiones illius, vellet iterum, atque ite-
rum relegere; & propterea ubi imperfectionem in objecto reperit, tædio
afficitur, & vellet illud arcere, & quæcumque illius non præſeferunt per-
fectiones, aut aliquam in factis, aut dictis, ſive alia quacumque ratio-
ne imperfectionem ejus exhibeant, delere.

Digitized by Google

§. 89. Ignominia eſt ſiniſtrum de perfectione alicujus judicium, ſeu potius eſt judicium de imperfectione.

§. 90. Vituperium eſt judicium de imperfectione alterius verbis expreſſum.

§. 91. Contumelia eſt judicium de imperfectione alterius ſignis externis expreſſum.

§. 92. Infamia eſt conſentiens recte Judicantium opinio, verbis, aut ſignis expreſſa de imperfectione alterius.

§. 93. Ignominia, Vituperium, Contumelia, Infamia ſunt Imperfectiones Accidentales, eæque extrinſecæ. Demonſtratio patet ex §. 83.

§. 94. Qui Deo imperfectiones perfracte appingit, Blaſphemus dicitur.

§. 95. Qui alteri perfectiones ſoli Deo proprias, perfracte appingit, etiam Blaſphemus eſt.

D. Qui perfectiones, ſoli Deo proprias, perfracte alteri appingit, unitatem Dei negat, ex Theologia naturali. Hæc eſt Dei imperfectio. Ergo imperfectiones Deo perfracte appingit. Qui imperfectionem Deo perfracte appingit, Blaſphemus dicitur, ex §. præcedenti. Ergo qui alteri perfectiones ſoli Deo proprias, perfracte appingit, Blaſphemus eſt.

§. 96. Blaſphemia eſt imperfectio Dei Accidentalis Extrinſeca. Demonſtratio conſtat ex §. 83.

§. 97. Blaſphemiam pro viribus eradicare tenemur.

D. Qui alterum amat, ſicut ejuſdem perfectiones promovet, ſic etiam imperfectiones ab ipſo pro viribus arcet, ex §. 88. Tenemur Deum amare tota mente, toto corde, omnibus viribus ex §§. 70, 71, 72. Blaſphemia eſt Dei imperfectio accidentalis extrinſeca ex §. 96. Ergo Blaſphemiam pro viribus eradicare tenemur.

§. 98. Impius eſt, qui actiones ſuas ad Religionem, ſeu potius ad perfectiones divinas, habitu non componit; unde Dei ideam e corde expellit.

§. 99. Impius ergo ſuis operibus perfectionibus divinis adverſatur.

§. 100. Impietas imperfectio Dei extrinſeca eſt.

§. 101.

Digitized by Google

§. 101. Impietatem eradicare pro viribus tenemur. Demonſtratio patet ex §. 97.

§. 102. Zelus eſt animi fervor, quo alterius perfectiones promoventur; vel ubi facultas deeſt, ſaltem adeſſe vehementius deſiderantur; ſicut etiam imperfectiones arcentur, vel ubi facultas deeſt vehementius abeſſe deſiderantur.

Alio modo: Zelus eſt animi fervor, quo alterius exiſtimatio, Laus, Honor, Gloria promoventur, vel ubi facultas deeſt, adeſſe ardentius deſiderantur: ſicut etiam eſt animi fervor, quo alterius Ignominia, Vituperium, Contumelia, infamia arcentur, vel ubi facultas deeſt, ardentius arcere deſiderantur.

§. 103. Animi fervor oritur ex intentione affectuum; zelus vero ex intentione Amoris.

§. 104. Tenemur zelo divino commoveri.

D. Qui alterum amat, debet pro viribus perfectiones promovere ex §. 73., ſicut imperfectiones arcere ex §. 88., ac proinde debet ejuſdem Laudem, Honorem, Gloriam promovere ex §. 84., ſicut etiam Ignominiam, Vituperium, Contumeliam, Infamiam arcere ex §. 93. & 88. Tenemur majori, qua poſſumus, intentione Deum diligere ex §. 72. Ex intentione affectuum, ac proinde amoris oritur animi fervor ex §. 103. Ergo animi fervore debemus perfectiones divinas promovere; ſicut imperfectiones a Deo arcere; Animi fervor, quo alterius gloriam, laudem, honorem, exiſtimationem, hoc eſt perfectiones promovemus, ſicut animi fervor, quo alterius imperfectiones arcemus, dicitur Zelus ex §. 102. Ergo tenemur zelo divino commoveri (1).

CA-

(1) Cum Deus diligendus ſit omnibus viribus, & vires oriantur ex ſpiritibus, omnes ideo vires, ſeu ſpiritus in affectum unum colligendi. Hi porro ſpiritus cum ſint ignea quædam materies, & fervefcens in magno affectu coaleſcens, quemadmodum certe eſſe debet juxta naturæ legem ſuperius expoſitam §. 72. amor in Deum; fieri nequaquàm poteſt, ut animum non accendant, & inflament; & ex conſenſu, qui inter cor, & animum intercedit, cor etiam præter morem effer.

CAPUT VI.

De Cultu Divino.

§. 105. EX intuitu alterius præcellentiæ oritur animi demiſſio (1).

§. 106.

---

eſſerveſcere, & novum quemdam debet ignem concipere ex æſtu ſanguinis, cujus ſedes, & caput eſt cor. Præterea cum amor agat animum noſtrum, & amoris intentio cum totum arripiat ad contemplandum intente objectum, ad ejuſdem perfectionis ideam magis augendam, & ad reſtituendam in priſtinum, ſi imminuta exciderit, avelli ab hoc munere neutiquam poteſt cor amans, ita ut ſentiat ſe intime commoveri ad cadentem gloriam reparandam, vel magis proferendam. Hinc Zeli effectus ſunt vultus, & oculorum æſtuatio: interiori enim fervore propter neceſſitudinem cum externis corporis partibus in exteriores erumpente facultates, ex quibus maxime ſentientes, diaphanæ, & ſeſe exerentes ſunt oculi, & vultus; internus Zelus in his detegitur. Quoties affectibus intimis, qui natura, motuque calorem ingerunt interiori corpori, adverſum quid accidit, excitari præ cæteris humoribus ſolet Bilis, & quandoque exundare. Ex hac Ira motum, vireſque ſumit: ideoque cum læſum animadvertimus id, quod amamus, objectum, Zelo commovemur, & in commotione iraſcimur. Verum cum ad gloriam fertur divinam Zelus, quia motum hunc exigit natura, nec ipſi pugnat, nullum ibi peccatum: *Iraſcimini, & nolite peccare*. Quilibet in corpore noſtro humor ſit ad conſervandum æquilibrium, & cum æquilibrio ſanitati inſervit; ita horum quilibet ad bene exercendas exteriores functiones Religionis inſervire debet, & a natura deſtinatur. Sic lacrymæ &c.

(1) Sicut in omni comparatione poni debent duo ſaltem, qui conferantur; ita, cum alterius magnitudinem noſtra ſuperiorem intuemur; ſcilicet perfectio excellens alterius, & noſtra inferior. Perfectio inferior in comparatione ſuperioris tanquam imperfectio oculis intuentium exhiberi ſolet, licet ſeorſim conſiderata perfectio appareat, & ſit. Ex qualibet repræſentatione objecti oritur in anima motus. Hinc duo ex intuitu alterius præcellentiæ in nobis oriuntur motus, alter in inferiori, & rationis compote procreatus. Alterius præ noſtra excellentia ſi diſtincte conſideretur, duas involvit notas, nimirum quod minores nos

ſimus

Digitized by Google

§. 106. Ex intuitu alterius præcellentiæ imminuitur erga nos ipſos amor. §. 107.

ſimus, quod major ille. Hæc duo cum nobis ideam ſui relinquant, ſicuti magnitudo alterius magnam in nobis creat ideam, ita parvam, & humilem tenuitas noſtra. Idea quælibet materialis movet, & ſollicitat cor. Nam cum idea quælibet materialis ſit in phantaſia, & inter phantaſiam, & cor vinculum arctiſſimum, ut fœdus intercedat, non poteſt ullus eſſe in phantaſia motus, cui non reſpondeat cor, neque ullum animadvertere poſſumus cordis motum, quin prius ideam materialem in phantaſia ortam agnoſcamus. Hinc ſicut idea magnitudinis alterius afficit magnopere cor noſtrum erga illum, ita parum, & tenuiter erga nos. Unde cum parte ſuperiori affectuum, nempe rationali ortum habeat directio ſpirituum ad opera; in qua virium moderatione, ut diximus, ſubſiſtit proprie Animus; parum etiam, & tenuiter erga ideam noſtri vires, ac ſpiritus diriguntur, unde Imminutio, aut Demiſſio Animi ad præſentiam imperfectionis datur. Inclinatio animæ, ſicut & cordis appetitus, ut toties diximus, ſemper datur ad præſentiam majoris perfectionis, datur major animæ inclinatio, ſicut in corde major affectus; ad præſentiam vero minoris perfectionis, minor animæ inclinatio, & minor affectus. Cum autem amore noſtri ſemper teneamur; quia noſtram perfectionem ſemper præ oculis habemus; & continua cogitatione noſtrarum perfectionum, licet exiguarum, adeo augetur idea, ut totam repleat Phantaſiam; inde amor noſtri adeo creſcit, ut repleat cor, & cum corde omnes ad ſe attrahit affectus: hinc amore noſtri undique induimur ſicut diploide, & circumferimur ad objecta quæcumque ſectanda eodem acti amore, & illecti. Ab imperfectionibus noſtris, quia tædium inde experiri debemus, contra naturam animæ, ſemper oculos avertimus. Ubi vero ſubit idea præcellentis perfectionis alicujus, qui extra nos eſt, demittitur animus, & minuitur affectus erga nos ipſos: hæc eſt geneſis affectuum rationalium ex intuitu alterius præcellentis perfectionis.

Quod ſi deinde in cæcos, confuſoſque cordis motus aciem intendamus, & quemadmodum ad intuitum alterius excellentiæ afficiantur, conſideremus, Invidiam potius oriri obſervabimus, & naturalem Animi Demiſſionem, & imminutionem amoris erga nos ipſos cum tædio percipiemus. Sed ſatis Empyrica Pſychologia, quomodo gignetur Invidia, differit: propterea non eſt opus de ejus geneſi hic loqui. De affectibus ſuperioris partis hic ſermo, ut quæ ſequuntur, clarius intelligantur, & quæ præceſſere. Satis dixiſſe, quomodo ad intuitum alienæ præcellentis perfectionis oriatur in nobis animi Demiſſio, & cum demiſſione animi, minor erga nos ipſos affectus. Hinc juvat poſtulare.

§. 107 Interior animi demiſſio ex intuitu alterius præcellentiæ dicitur Adoratio.

§. 108. Tenemur adorare Deum.

D. Natura tendimus ad cognitionem Dei ex §. 22. Deus eſt Ens infinite præcellens Creaturas ex Theologia Naturali: Ergo natura tenemur cognoſcere Deum infinite præcellentem perfectionibus creaturarum. Ex intuitu alterius præcellentiæ oritur animi demiſſio ex §. 105. Interior animi demiſſio ex intuitu alterius præcellentiæ dicitur Adoratio. Ergo tenemur adorare Deum.

§. 109. Quo major erit alterius præcellentia, quam intuemur, eo major erit animi demiſſio; & quo major erit animi demiſſio ex intuitu alterius præcellentiæ, eo major adoratio.

§. 110. Majori, qua poſſumus, intentione tenemur adorare Deum.

D. Deus infinite præcellit creaturas ex Theologia naturali; Ex intuitu ergo Dei ſumma in animo oriri debet demiſſio ex §. 109. Summa animi demiſſio eſt ſumma Dei adoratio ex §. 107. Ergo majori, qua poſſumus, intentione tenemur adorare Deum (1).

§. 111.

---

(1) Cor demiſſum, & humile coram Deo, qui præſens eſt omnibus in quocumque loco, oritur ex idea ipſius, ſeu potius ex approximatione cognitionis noſtræ ad ipſum; quam ideam magis, aut minus vividam ante mentis aciem conſtituere poſſumus. Si vivat in nobis Deus, & magna ſit hæc idea, fieri nequaquam poteſt, ut humile non ſit, & demiſſum cor hominis, & quin ipſi ſe præbeat in omni loco proſtratum. Animi elatio, defectus adorationis, & Dei neglectus quotidianus oritur ex eo, quod rectam ideam Dei non habemus, vel quod ipſam nobis nunquam animadvertendam objicimus. Dei amplitudo, ac infinita poteſtas, ſi animum noſtrum ſubeat, neceſſario creat in nobis dejectionem animi. Adoratio autem eſt quidam affectus cordis, qui ſponte oritur ad conſpectum magnitudinis: ideo neceſſe eſt ignorare Deum, ut non ipſi adoratio præbeatur: imo quo magis cognitio noſtra accedat perfectionibus Dei, eo major erit ipſius adoratio: minus profundæ adorationis actus ſignum eſt manifeſtum vulgaris ideæ, & humilis, quam de ipſo gerimus. Igitur ubi confuſa, & obſcura erit cogni-

§. 111. Ex alterius præcellentis perfectionis diffuſione, vel manifeſtatione oritur jucunda animi demiſſio (1).

§. 112. Jucunda animi demiſſio ex intuitu diffuſionis, vel manifeſtationis præcellentis perfectionis dicitur Veneratio.

§. 113. Præcellens perfectio, quæ ſe in alios diffundit, & aſpectui alterius ſubeſt conſpicienda, dicitur Majeſtas (2).

L §. 114.

---

gnitio Dei, ejuſque poteſtatis, adoratio, & animi demiſſio erit nimis remiſſa; ubi vero veluti ſopita, & abſcondita multitudine, & frequenti congerie tricarum hujus mundi, deſideriis ſæculi, bonorum temporalium cupiditatibus, ceſſat omnino Dei adoratio. Frequens Dei adoratio ex natura ipſa jubetur. Nam ratione duce Deum in omnibus eſſe, & omnia ſine ipſo repugnare omnium animis ingerit natura ipſa. Tunc ergo animus recte intuetur, cum Deum in omnibus perſpexerit. Si Deus in omnibus perſpexerit, animus ex ejus majeſtatis, & potentiæ intuitu demittitur, demiſſus ipſum adorat. Præterea Deum tota mente, toto corde, omnibus viribus diligendum eſſe natura nos docet. Nil tam Dei amori, & dilectioni adverſum, quam amor noſtri, quo quotidie circumducimur ita, ut omnia propter nos ipſos operemur. Ut autem hujuſmodi amor imminuatur, & in nihilum abeat, intuitus alterius præcellentiæ efficere poteſt; quæ ſi ſumma fuerit, & infinite diſtans a noſtra perfectione, ſicut totum animum inclinat ad ſeipſam, ſic totum avertit a nobis ipſis: unde extingui neceſſe eſt amorem noſtrum ipſorum. Ut igitur ad amorem Dei aſſequendum propiores ſimus, præſens remedium eſt frequens Dei, & divinæ præcellentiæ intuitus, ac proinde adoratio.

(1) Quemadmodum ubi alterius proponitur nobis perfectio, ſcilicet ubi potentiam, vel bonitatem alicujus effundi, & in cæteros exundare conſpicimus, oritur in nobis quædam affectus dulcedo, quam appellamus Jucunditatem; ita cum hanc præter noſtram excellere, nec parum ſupereminere videmus, oritur, ut diximus, animi demiſſio.

(2) In hoc adoratio differt a veneratione, quod adoratio cum ſit dejectio animi erga quodquod objectum ob excellentem, quam in eo adſpicimus perfectionem, poteſt quandoque conjungi cum timore, qui eſt affectus triſtis; Veneratio vero eſt illa animi demiſſio erga objectum illud, quod excellat in perfectione, ſed cum ſuavitate, & voluptate animi conjuncta adeo, ut ab alterius magnitudine non abhorreat, ſed potius ad eam animus inclinet. Quapropter cum in aliquo perfectionem intuemur, qua, non ut aliis terrori ſit, non ut ipſi nimium, & ad

nau-

Digitized by Google

§. 114. Tenemur Deum venerari.

D. Tenemur Deum cognoſcere ex §. 22. Deus immediate ſe offert tamquam Creatorem ex Theologia Naturali: Creatio eſt diffuſio præcellentis Potentiæ, Sapientiæ & Bonitatis ipſius erga nos ex Theologia Naturali. Ex intuitu diffuſionis, vel manifeſtationis præcellentis perfectionis, quæcumque ea ſit, ſive Bonitatis, Sapientiæ, & Potentiæ, oritur jucunda animi demiſſio ex §. 111. Jucunda animi demiſſio eſt Veneratio ex §. 112. Ergo tenemur Deum venerari (1).

§. 115.

nauſeam uſque perplaceat, utatur, ſed potius, ut effundat in cæteros, ſed ut communem cum aliis efficiat, denique ut ſit objectum potius voluptatis, quam tædii, amoris, quam odii; ejus præcellentia minuit quidem in nobis animum, ſed ſimul nos allicit ad eam cum gaudio, & jucunditate contemplandam.

(1) Si nulla homines pollerent libertate, eorum actiones neceſſario ſequerentur ductum naturæ: & propterea cum natura feratur ad cognitionem Dei perennem, & ex crebra cognitione derivent Amor, Zelus, Adoratio, Veneratio, &c.; infallibiliter in homine ſequerentur hujuſmodi actus, & reliqua Religionis officia. Cum autem homo ſit ens liberum, ideo vi libertatis ei datum poſſe vel exercere hos actus, vel iiſdem adverſari. Si eas ſequamur actiones, ad quas natura rationis compos impellit, tunc, quia juxta naturæ ductum operamur, exequi, & implere legem naturæ dicimur: ſi vero ab eo naturæ motu deflectamus, contra legem naturæ ſunt actiones noſtræ. Licet autem verum ſit vi libertatis eſſe penes nos exequi quoslibet actus religionis, nihilominus quidam naturaliter oriuntur, niſi iiſdem poſitive refragemur: ita liberum homini figere intuitum in Deum, magis, aut minus mentis aciem in ejus attributa, & contemplationem intendere, unde magis, aut minus vivida in nobis idea Dei progignitur; at, ubi ſemel in eum libere oculos intendimus, naturaliter quidem in nobis oriuntur affectus: ita, ſi Deum intueor ut perfectiſſimum, & omni creatæ rei longiſſime præcellentem, neceſſarium eſt, ut demittatur in nobis animus, & proſternatur; & quo vividior in nobis ſit hæc idea, quoque frequentius excitatur, eo magis devolvitur ante illum cor noſtrum, & eo frequentiori cultu proſequimur. Idem dicito de omnibus aliis affectibus. Hinc ex eo, quod tenemur Deum cognoſcere, ſequitur teneri, ut eum adoremus, ac veneremur, niſi vi ab inferiori parte oriunda cohibeamus affe-

Digitized by Google

§. 115. Actus humanus tunc perfectus eſt, cum potentiis internis externæ reſpondeant (1).

§. 116. Tenemur actus perfectos elicere erga Deum.

D. Fa-

affectus, qui naturaliter ab intuitu Dei naſcuntur. Præterea etſi omnes infinitæ Dei perfectiones in una ipſius ſimplicitate contineantur, & Dei idea ipſum tanquam Ens perfectiſſimum repræſentare debeat; quædam tamen Dei attributa præ imperfectione, & limitatione intellectus creati magis immediate percipiunt, & ad ſolum Dei intuitum debent menti objici, nec recta de Deo haberi poteſt idea, niſi immediate in ipſa hæc animadvertantur, veluti quod ſit perfectiſſimus, & omnem excedens humanam perfectionem, quod ſit Creator ac Dominus. Nam ex intuitu creaturarum, & magnitudine ſpeciei poterit creator horum videri. Et ratio hæc eſt: intellectus humanus, ſi ſibi conſtare velit, & fungi munere ſuo, a creaturis debet eruere ideam Creatoris: cætera vero Dei attributa a nobis intelliguntur, pro ut ſenſim major, aut minor Dei idea efformatur, ex majori, aut minori meditatione; & propterea quidam actus Religionis ab omnibus, & in quocumque ſtatu exerceri debent, quidam vero licet ad Religionem pertineant, pendet tamen eorum exercitium ex majori, aut minori, quam acquirimus, Dei cognitione. Cum id ſit nobis unice proponendum, ut cognoſcamus, & contemplemur Deum; omnes tenemur ideam Dei nobis augere, &, prout hæc major in nobis ſit, majus ſit in nobis objectum noſtræ felicitatis. Recta ratio, & intellectus functiones non præpoſtere recta nos ducunt ad Dei cognitionem, ut conſtat ex Theologia Naturali. Igitur ubi recta evigilaverit ratio, & mens ſibi bene conſcia a rebus eruere rationem veram poterit, Dei inſcitia contra naturam rationalem erit, nec ſine crimine, & receſſu a noſtra felicitate in ea poterit perſeverari. Ex cognitione Dei neceſſario intelligi debet juxta naturæ leges Dei amor, & dilectio ſupra omnem creaturam: unde cum ad rationis uſum pervenerimus, Dei dilectionem cor noſtrum ſentire, & veluti guſtare debet. Amor enim Dei in creatura rationali neceſſarius intelligitur ex legibus ipſius naturæ, ac rationis. Ita pari ratione Dei Adoratio, ac Veneratio.

(1) Homo in concreto prout exiſtit, ex omnibus ſimul internis, externiſque facultatibus conſtituitur. Propterea illa plene eſt ab homine actio, in qua totus homo ſive omnes ejus facultates exercentur. Externa eſſe poſſit, & aliquando ſit humana propter colliſionem.

L 2

Digitized by Google

D. Facultates naturales eodem determinantur fine, quo natura ipſa, cui inſunt ex §. 15. Natura tendit ad Deum ex §. 14. Ergo omnes facultates naturales tendunt ad Deum. Ergo eumdem habent finem. Inter ea, quæ eumdem habent finem, datur vinculum ex §. 18. Ergo potentiis internis debent reſpondere externæ: cum potentiis internis reſpondent externæ, tunc datur actus perfectus ex §. 115. Ergo tenemur actus perfectos elicere erga Deum.

§. 117. Interiori animi demiſſioni reſpondet exterior corporis demiſſio.

§. 118. Tenemur ante Deum corpus exterius demittere.

D. Tenemur Deum adorare ex §. 108. Adoratio eſt interior animi demiſſio ex §. 107. Tenemur actum perfectum elicere erga Deum ex §. 116. Actus perfectus eſt cum potentiis internis reſpondent externæ ex §. 115. Interiori animi demiſſioni reſpondet exterior corporis demiſſio ex §. 117. Ergo tenemur ante Deum exterius corpus demittere.

§. 119. Summa corporis demiſſio dicitur Proſtratio, media Genuflexio, infima capitis inclinatio.

§. 120. Tenemur proſternere nos ante Deum.

D. Tenemur majori, qua poſſumus, intentione Deum adorare ex §. 110. Ergo tenemur exterius majori, qua poſſumus, intentione corpus demittere ex §. 118., & 116. Summa corporis demiſſio dicitur Proſtratio ex §. 119. Ergo tenemur proſternere nos ante Deum (1).

§. 121.

---

(1) Sicut ad cognitionem ſummæ magnitudinis, poteſtatis, ſapientiæ neceſſe eſt animum noſtrum demitti; & animi demiſſio cum oriatur ex eo, quod magnitudo objecti longe diſtet a nobis, quod & inter Deum & hominem intercedit, cum ſit infinitum; ſic infinitam oportet eſſe animi demiſſionem: ideo corpus, cujus eſt formam ſumere ab interno, debet, quoad poteſt, demitti, ac proſterni: propterea demiſſio corporis, ut ſpeciem præferat internæ demiſſionis, debet eſſe ſumma, quæ vulgo Proſtratio dicitur. Reliqua corporis demiſſionum genera, ut unius, aut amborum genuum flexio, capitis inclinatio,

Digitized by Google

§. 121. Qui ſe proſternit ante Deum, ipſum honorat.

D. Honor eſt rectum judicium de Deo factis expreſſum ex §. 82. Proſtratio ante Deum eſt factum, quod exprimit de Deo judicium ex §. præcedentibus. Ergo qui ſe proſtrat ante Deum, ipſum honorat.

§. 122. Interiori verbo, ſeu cognitioni de Deo reſpondet exterius verbum (1).

§. 123. Tenemur laudare Deum.

D. Tenemur habere rectum de Deo judicium, quia tenemur

---

tio, internis cum congruunt motibus mediam exprimunt, aut infimam animi demiſſionem, quæ debetur inferioribus ſecundum Deum poteſtatibus, juxta illorum perfectionis, & potentiæ gradus. Quia vero non ſemper poſſumus, nec ſemper debemus exterius manere proſtrati, non quod lex abſoluta id non jubeat, ſed ut aliis majoris momenti officiis Religionis incumbamus; hinc vi colliſionis immunes ab eo, ut ſemper projectis ad ſolum cervicibus perſiſtamus, efficimur. Ita ſi per proſtrationem urgentius aliud perturbaretur officium, nimirum laudum Deo dicendarum, vel alia ſubſit cauſa; cum etiam per mediam corporis demiſſionem quandoque huic ſatisfieri poſſit officio, tunc per colliſionem non tenemur ad proſtrationem, niſi aliquando, ut monſtremus exterius rectam, quam interius de Deo colimus, & retinemus ideam; modo ſervetur diſcrimen inter externam Dei, & aliarum inferiorum Poteſtatum adorationem; & externi actus apte internos ſignificent, & ordini congruant, legibuſque naturæ.

(1) Rerum cognitio jure dicitur verbum. Cum enim verbum ſit imago quædam, & manifeſtatio exprimens, quod occultum erat; ſicut verbum materiale exprimit, quod interius latet, ſic & cognitio, quod Verbum ſpirituale eſt, quod ignotum eſt repræſentat animæ: ſine cognitione enim res in obſcuro manent, & incognitæ. Non abſimili fere ratione in divinis eloquiis Sapientia Patris infinita appellatur Verbum divinum, Verbum Patris, quia exprimit virtutem, & potentiam Patris; unde etiam Imago ipſius dicitur. Duæ dantur rerum enunciationes, ſive manifeſtationes, ſpiritalis una, materialis altera, interior una, exterior altera. Interior cognitionis nomen ſibi vindicat peculiare, exterior generis ſibi nomen retinet, & verbum appellatur. Interiori verbo, nimirum cognitioni exterius reſpondet verbum ex articulatis ſonis compoſitum; quod enim interius cognoſcimus, per exteriores voces manifeſtamus.

Digitized by Google

mur ipſum cognoſcere ex §. 22. Ex alia parte tenemur actus perfectos elicere erga Deum ex §. 116., ac proinde potentiis internis debent reſpondere potentiæ externæ ex §. 115. Internæ cognitioni de Deo reſpondet exterius verbum ex §. 122. Rectum judicium de Deo verbis expreſſum eſt laus divina ex §. 82. Ergo tenemur laudare Deum (1).

CAPUT VII.

De Spe, Fiducia, ac Pietate.

§. 124. Affectus ille animi, qui oritur ex repræſentatione boni obtentu poſſibilis, dicitur ſpes.

§. 125. Spes ergo datur, cum nobis repræſentamus bonum obtentu poſſibile.

§. 126. Poſſibile obtentu eſt quodcumque medium ad felicitatem pertinens.

D. Deus Creator eſt ex Theologia Naturali; ac proinde ad finem nos in creatione deſtinavit; ac proinde ad felicita-

(1) Non ſolum lege naturæ Deum laudare tenemur, ſed & laudes canere, & modulatis vocibus, ac metro conjuncta verba conſtruere. Nam ſi introſpexerimus unde lex hæc, & obligatio derivat, externas voces internis conformandas eſſe clarum fiet. Cum enim cognitio Dei nedum ipſius perfectiones, ſed inter ipſas conſenſum, & attributorum varietatem ſine contradictione in unitate conſiſtere, exprimere debeat; ita hæc exterior vox nedum perfectiones Dei; ſed & ipſam Varietatem ſine diſſenſu enunciare debet, ſi velit interiori reſpondere cognitioni; quod ex conſenſu diverſorum ſonorum, in quo proprie cantus conſiſtit, reſultare debet. Non abſimili ratione probare poſſem, ſi per tempus liceret, quod medium aptius ad concinendas laudes divinas eſſet oratio metro ligata, nimirum Hymni, & Cantica, ut exprimatur clarius, & perfectius vocibus conſonantia divinorum attributorum.

Digitized by Google

tatem ex §. 40., & ex §. 90. quia omnipotens, poteſt omnia media ad finem obtinendum præbere, quia ſapiens, novit media apta diſponere, quia bonus, pronus eſt ad præbenda. Ergo poſſibile obtentu eſt quodcumque medium ad felicitatem pertinens.

§. 127. Qui ideam Omnipotentiæ divinæ, Sapientiæ, & Bonitatis habet, ſpem habet ſuæ felicitatis.

D. Ex repræſentatione Omnipotentiæ, Sapientiæ, & Bonitatis cognoſcitur poſſibilitas obtinendi quodcumque medium ad felicitatem neceſſarium ex §. 126. Ex repræſentatione boni obtentu poſſibilis oritur Spes ex §. 125. Ergo qui ideam divinæ Omnipotentiæ, Sapientiæ, & Bonitatis habet, ſpem habet ſuæ felicitatis.

§. 128. Certitudo, vel quaſi certitudo obtinendi id, quod ſperamus, dicitur fiducia.

§. 129. Fiduciam noſtræ felicitatis concipere debemus ex parte Dei.

D. Certum eſt Deum Omnipotentem eſſe, certum ſapientem, certum creaſſe hominem, ut ad ſuum finem, hoc eſt, ad felicitatem perveniret; certum bonum eſſe, ac proinde pronum ad præſtanda ea, quæ noſtræ felicitati conducunt. Ergo certi eſſe debemus obtinendi, quæ noſtræ felicitati conducunt ex parte Dei.

Idem alia ratione. Deus creavit hominem ad finem homini proprium. Finis naturæ humanæ eſt felicitas ex §. 40. Ergo Deus creavit hominem ad aſſequendam felicitatem: Ergo Deus præſtare debet media ad felicitatem aſſequendam, ſecus iniquus eſſet. Ergo ex attributis divinis certum eſt Deum præſtare media neceſſaria ad felicitatem aſſequendam; Ergo fiduciam noſtræ felicitatis concipere debemus ex parte Dei. Ex §. 128. (1).

§. 130.

---

(1) Spes oritur ex cognita poſſibilitate bonum aliquod obtinendi. Sicut ergo poſſibilitas habet ſuos gradus, uſquedum deveniatur ad certitudinem: ita quoque Spes; quæ non differunt ſpecie, ſed gradibus, aut

§. 130. Deſperatio eſt judicium, quo aliquid impoſſibile obtentu eſſe judicamus.

§. 131. Deſperatio noſtræ felicitatis eſt actus ille, quo judicamus, impoſſibile obtentu eſſe a Deo medium ad felicitatem

---

aut quantitate; hinc non admittunt diverſa nomina, niſi hi gradus nimis diſtent, aut unius quantitas alteram nimis excedat; tunc enim evitandi gratia confuſionem, & diſtinctionis cauſa diverſa attribuimus nomina. Poſſibilitas effectuum liberorum intelligitur ex potentia, ſapientia, & animo, ſeu voluntate illius, a quo ponendi ſunt. Voluntas ſine viribus non dat poſſibilitatem rei: vires, ſeu potentia cum voluntate, niſi adſit ſapientia, ſeu facultas dirigendi media ad finem, nec ipſa poſſibilitatem dant. In Deo tria hæc in ſummo gradu concurrunt. Nihil eſt phyſice penes eum impoſſibile per ſuam Omnipotentiam: nihil ei obſcurum, & ignotum, ſed omnia ante conſpectum illius nuda ſunt, & aperta media dirigendi quodcumque ad finem: Voluntas ad bene faciendum proniſſima, & ad dandum omnia auxilia; ipſa enim eſt verum bonum; Bonum natura ſua diffuſivum ſui: imo voluntas apertiſſime patefacta creaturis omnibus felicitatem impertiendi; nam, qui creavit, debuit tanquam Sapientiſſimus neceſſario creare fini ſuo congruentes, & finis qui naturæ uniuscujusque propriæ ſit cohærens. Finis, & felicitas creaturarum ſunt idem, ut diximus. Itaque, cum creavit, dedit ſuæ voluntatis teſtimonium, præſtandi unicuique copiam, & facultatem, ut ad finem, ut ad felicitatem perveniret; ſecus vel non Sapiens eſſet, ſi ad finem non dirigeret naturæ congruum; vel non bonus, ſi non præſtaret media; vel non omnipotens, ſi rem præſtare non poſſet. Non ſapiens modo, ſed & rationis compos dirigere debet quodlibet ſub ſua poteſtate conſtitutum, ad finem naturæ cohærentem; ſi non præſtat media, injuſtitiæ redarguitur, & iniquus reputatur. Quod quærunt, utrum Deus poſſit creaturas e nihilo educere, & cruciatibus tanquam fini addicere; ſemper a me vanum habitum eſt, & riſu dignum. Ad hunc enim ſi creaſſet finem, internæ facultates, & potentiæ omnes ad hunc etiam duci deberent finem; huic aſſequendo natæ, & ad cruciatus natura ipſa ferrentur, & propterea huic rei eſſent accomodatæ tanquam fini: ſed ſi ita res haberet, tunc hæc, quæ ſunt nobis cruciatus, eſſent illis felicitati; ut præteream argumenta metaphyſica, quibus hoc repugnans, & alienum plane a Dei bonitate, apertiſſime erueretur.

Quod vero de brutis, & quibuſdam inſenſibilibus objiciunt, quæ ve-

tem aſſequendam ex defectu, vel Potentiæ, vel Sapientiæ, vel Bonitatis divinæ.

§. 132. Deſperatio noſtræ felicitatis eſt contra naturam.

D. Qui judicat Deum omnia non poſſe, vel non ſcire, vel infinite bonum non eſſe, Deum non cognoſcit ex Theologia Naturali. Atqui ex cognitione Omnipotentiæ, Sapientiæ,

---

veluti nata ad patiendum, felicitatem nunquam recipient; quamvis creaturæ ſint, & a Deó productæ, & propterea ſuum finem, ac proinde felicitatem neceſſario debeant conſequi; quia nec habent libertatem, qua declinare a fine poſſint, & ſponte privari ſua felicitate; ſi eſſet hic locus diſſerendi de eorum natura, eorumque eſſe inquirendi, non eſſet difficile, demonſtrativa methodo oſtendere, omnes has creaturas propter finem ſibi proprium, ac proinde propter felicitatem, creatas eſſe, ac præterea nequaquam illis ſuam felicitatem denegatam. Qua ratione hoc fiat, & in Pſychologia philoſophice pertractabimus, ſi quod dudum animo agitavimus, & cœpimus opus, dabitur ad finem perducere; & theologice etiam, ubi de beatitudine creaturarum agemus ex Pauli, & Evangelii doctrinis.

Quamvis autem datur ſemper facultas impetrandi a Deo validiora illa auxilia ad felicitatem aſſequendam, ejus ſpectatis attributis; non propterea tamen Spes datur in nobis. Spes enim non ex poſſibilitate tantum, ſed ex repræſentatione boni obtentu poſſibilis exoritur. Quamobrem etiam impoſſibilia, phantaſiæ tanquam poſſibilia repræſentata, animum erga objectum commovent; quam animi motionem nos Spem appellamus.

Præterea ut ex boni repræſentatione voluptas oritur, ex imperfectionis cognitione tædium; ita ex repræſentatione ſpectati boni voluptas originem ducit, & tædium. Spes enim ſimplex affectus non eſt, ſed mixtus. Propoſito menti ſperato, & obtentu poſſibili objecto, in hujuſmodi repræſentatione adeſt bonum; ſcilicet poſſibilitas boni obtinendi: actualis tamen boni privatio, & incertitudinis gradus in tali imaginatione eodem tempore imperfectionem continet. Natura humana, utpote quæ voluptatem petit, refugitque a tædio, magis ad poſſibilitatis notas, bonique obtinendi advertit animum, quam ad incertitudinis; adeoque, his oculos fugientibus, ſpei voluptas, ut plurimum ſemper viva ſupereſt. Quod ſi incertitudinis notas dumtaxat animadvertimus, ex voluptate ad tædium viam nobis ſternimus, eaque eſt origo, cur varii ſint ſperantis affectus.

M Quam-

Digitized by Google

tiæ, & infinitæ Bonitatis, ſemper poſſibile obtentu judicatur quodcumque medium ad felicitatem aſſequendam ex demonſtratione §. 127. Ergo qui judicat, impoſſibile obtentu eſſe quodcumque medium ad felicitatem aſſequendam, vel ex defectu Potentiæ, vel Sapientiæ, vel infinitæ Bonitatis, Deum non cognoſcit: natura tendimus ad cognitionem Dei ex § 22. Ergo deſperatio noſtræ felicitatis contra naturam eſt.

§. 133. Deſperatio noſtræ felicitatis Blaſphemiam involvit.

D. Deſperatio noſtræ felicitatis eſt actus ille, quo judicamus, impoſſibile obtentu eſſe a Deo medium ad felicitatem aſſequendam, vel ex defectu Potentiæ, vel Sapientiæ, vel infinitæ Bonitatis ex §. 131. ac proinde imperfectionem Deo appingimus ex Theologia Naturali; ac proinde eſt Blaſphemia ex §. 94. Ergo deſperatio noſtræ felicitatis Blaſphemiam involvit.

§. 134. Pietas eſt habitus exercendi actus Religionis.

§. 135. Tenemur Pietatem colere, ſeu Pii eſſe.

D. Natura humana unice tendit ad Deum ex §. 40. Ergo omnes facultates, & omnes actus ſuos debet dirigere ſemper ad Deum. Actus, qui ad Deum diriguntur, dicuntur actus

D. Te-

Quamobrem quo facilius objectum obtineri poteſt, eo major Spes eſt, magiſque augetur voluptas: cum vero omnes poſſibilitatis notæ certum futurum effectum indicantes concurrunt, Spes tunc ea erit, qua major nulla dari poteſt, fiduciaque appellatur. Idcirco cum idem ſemper in ſuis attributis, Sapientia nempe, Potentia, & Bonitate Deus ſit; ſemper eadem eſt poſſibilitas, & certitudo ex parte miſerentis Dei, ſimulque creantis: major autem, minorve ſpes evadere poteſt ex magis, vel minus vivida repræſentatione Dei, ipſiuſque attributorum cognitione. Unde quo magis quiſque Deum cognoſcit, eo majorem habet ſpem; qui plenam Dei, perfectamque, quoad fieri poteſt, cognitionem habet, in eo nihil niſi fiducia regnare poteſt ex parte Dei. Poſt peccatum voluntate perpetratum Timor, & Spes locum habent. Timor ex juſtitia, & ex repræſentatione Miſericordiæ ſpes: ſi major erit cognitio Miſericordiæ, prædominatur Spes timori; ſi vero cognitio Juſtitiæ, timor prædominatur Spei.

Digitized by Google

Religionis. Ex frequentatis actibus oritur habitus ex regulis Logicæ. Ergo habitum exercendi actus Religionis tenemur acquirere; habitus exercendi Religionis actus dicitur Pietas ex §. 134. Ergo tenemur Pietatem colere, ſeu Pii eſſe (1).

§. 136. Qui ergo Pius eſt, frequenter Meditationi divinorum incumbit, Mortificationem exercet, ardet Amore divino, ipſum Honorat, ac Veneratur, Laudes concinit, ſeque proſternit, Zelo divino commovetur ex §. antecedentibus.

§. 137. Quo plus Pietatis quis habeat, eo propius ad feli-

(1) Cum non alio ſpectet natura humana, nec alium habeat finem, ut ſuperius ſatis demonſtravimus, niſi, ut hæreat Deo, a quo eſt, a quo per participationem emanat, ut eum, qua poteſt, meliori ratione, contempletur; ſemper ipſam humanam cognitionem magis deſæcatam, & ſibi unitam, & a rebus ſenſibilibus non abreptam, & diſtractam, omneſque ſuas actiones, & facultates ad hunc finem debet movere, & dirigere. Actuum hujuſmodi iteratio frequens gignit in nobis facilitatem, quæ habitus appellatur, & ſpecificum nomen, quo habitus hic inſignitur, eſt Pietas. Quæque actio, quæ non fertur directe ad Deum, tanquam ad finem, ut contra naturam eſt, ita quoque eſt contra Religionem, & actio quælibet, quæ non a Religione informetur, quæ ſcilicet non edatur, ut conformis ſit divinæ voluntati, eſt contra naturam: & ideo dari non poteſt actio naturaliter bona, quæ non a Religione regatur; & propterea ipſæ, quas aut nobis, aut familiæ, vel Reipublicæ, vel Magiſtratibus debemus tribuere, actiones nunquam bonæ erunt, nec ad legem naturæ compoſitæ, niſi a Religione moveantur, & moderentur: imo ad eas eliciendas tenemur, quia jubet Religio ipſa, ut ſingillatim ſuis in locis demonſtramus.

Verum quidem eſt, quod, ſi immediatum cujuſque actus finem, & objectum inſpexerimus, non quælibet actio erit actus Religionis, exempli gratia, ſolutio Vectigalium, cultus Mentis, & Corporis: nam religioſus actus appellatur is, qui Deum immediate reſpicit. Sed, ſi inſpiciatur, unde obligatio hos ipſos actus exercendi derivet, & cui acquirendo bono inſerviat, tanquam ſuo vero, & unico fini, erunt actus Religionis. Quilibet actus, ut naturalis ſit, Religionem pro anima habere debet, licet exterius non ſemper immediate Deum reſpiciat, ſed tamquam ultimum finem.

licitatem accedit; quo minus pietatis, eo longius a felicitate aberrat (1).

FINIS PARTIS PRIMÆ.

JU-

(1) Hæc duo Corollaria, quæ clariſſime ex præcedentibus fluunt, & quorum, brevitatis gratia, demonſtrationes omiſi, ſumma totius noſtræ Religionis ſunt: huc theoremata omnia, ac demonſtrationes Religionis conſpirant. Pietas eſt meta totius Religionis; felicitas noſtra terminus Pietatis.

Digitized by Google

JURIS NATURALIS
PARS SECUNDA
De Officiis erga nos ipſos.

CAPUT I.

De Cultu Corporis.

§. 1. **C**Orpus humanum conſtat organis ſenſoriis, & vitalibus: Sanguis per hæc circumiens Vivum conſtituit; Spiritus per illa ſenſitivum (1).

§. 2.

(1) Tres, ut vulgo animadvertunt, in vita hominis Vitæ clauduntur, Vegetabilis, Senſitiva, Rationalis. Vidimus hactenus, ut homo totus, aut humana natura tota conſiderata non alium finem, quam ut Deo fruatur, habeat; ex cujus contemplatione manat, & in qua omnis ſita ejus felicitas; ex quo omnium humanarum facultatum in genere eduximus officia, ut operentur nimirum omnes, & incumbant ad aſſecutionem ejus Primi, Summi, & Perfectiſſimi Entis. Conſideremus nunc hominem per omnes ſui partes, & ſingula earum officia perpenda-

da-

Digitized by Google

§. 2. Ideæ materiales habentur mediis ſenſibus rite diſpoſitis. Recta diſpoſitio in integritate eorumdem ſita eſt, & ſpiritibus animalibus per eoſdem percurrentibus.

§. 3. Tenemur conſervare integros ſenſus.

D. Tenemur legere, audire &c. ea, quæ Dei ſunt; ac proinde habere ideas materiales ex §. 36. Partis Primæ; Ideæ materiales haberi non poſſunt, niſi mediis ſenſibus rite diſpoſitis ex §. 2. par. 2. Recta diſpoſitio eſt eorumdem integritas ex §. eodem; Ergo tenemur conſervare integros ſenſus.

§. 4. Senſuum ergo Voluntaria Mutilatio contra naturam eſt, ex §. præcedenti (1).

§. 5. Cibus eſt corporalis ſubſtantia, quæ dentibus attrita, & in Ventriculo imminuta in chylum tranſit; ex chylo ſanguis, ex ſanguine ſpiritus animales efformantur.

§. 6. Tenemur Cibum procurare.

D. Tenemur legere, audire &c. ex §. 36. Partis Primæ; ac proinde ad Contemplationem, Meditationem, quarum fundamentum eſt Senſatio; Senſatio, ſeu ideæ materiales haberi non poſſunt ſine Spiritibus animalibus ex §. 2. par. 2. Spiritus animales ſine Cibo ex §. præcedenti. Ergo tenemur Cibum procurare (2).

§. 7.

---

damus. Homo, juxta communem diſtinctionem, dividitur in Animam, & Corpus; Corpus in Vegetabile, & Senſitivum; Anima in Mentem, & Voluntatem. Igitur primo officia quærenda hominis ex ea parte, qua Vegetabilis eſt, & Senſitivus, quod fundamentum eſt cæterarum functionum; officia deinde Mentis; & denique Voluntatis.

(1) Senſus ideo dati a Natura, ut per eos ideas rerum materiales habeamus. Ideæ materiales Creaturarum perfectiones intellectui conſpiciendas ſubjiciunt. Quilibet ſenſus ſicut ab aliis ſpecie differt, ſic diverſam exhibet perfectionem. Unde qui ſenſibus ſe privat, intellectum prohibet quominus novas, ac diverſas perfectiones perſpiciat, unde major in ipſo Dei idea efficiatur.

(2) Videbitur riſu dignum vel officium quærendi Cibum in Demonſtrationem adduxiſſe, cum tam ſit obvium, & notum omnibus, tam conſtanter, & tanto ſtudio procuretur ab omnibus, ut fræno potius ſint homines continendi, ne modum excedant, quam addendus ſtimulus. Peccatur paſſim, & læduntur aliæ Naturæ leges, quia nimis ſol-

Digitized by Google

§. 7. Sanitas eſt Æquilibrium ſolidorum, & fluidorum.
§. 8. Tenemur ſanitatem conſervare.

D. Quo-

ſolliciti ſumus per fas, & nefas in inquirendo victu, & capiendo cibo. Et tamen hoc ipſo oportuit rem adeo notam in Demonſtrationem adducere, ut ſciiicet expoſita ratione, unde oritur id officium, Quantitas quoque ad rationem, & finem decernatur ſimul, & Qualitas: Parum confert homini ratione prædito edere actum a lege juſſum, a ſenſu motum, ſi non eum ad finem regat a Natura propoſitum; nec fieri poteſt, ut in officiorum executione juſtis limitibus teneamur, niſi ſit ante oculos ratio, quæ dat legem officio. Multæ ſunt veræ rationes, unde manat obligatio quærendi victum, & tuendi noſtras vires, & ſenſus. Omnes vero oportet a Religione ducantur. Nam, cum non alium habeat Natura hominis finem, quam regredi ad Deum, unde exivit, ut ex illius contemplatione, & perenni adhæſione expetitam adeo felicitatem aſſequatur; omnes propterea facultates ejus, & potentiæ cum ſuperiores, tum inferiores huic tantum, & uni debent ſervire deſiderio. Sicut ergo inter has potentias, & facultates ordo certus, & vinculum intercedit; ſicut altera ab altera ſenſim proficiſcitur, & a Mente omnes facultates cognoſcitivæ, a Voluntate omnes appetitivæ per gradus progrediuntur; ita in cujuſque ſingillatim officii determinanda ratione neceſſe eſt, ut ad immediatum, & nativum uſum cujuſcumque harum facultatum nos referamus. Ratio quidem officii cujuſcumque facultatis inferioris, ſive Corporis, deſumi quoque poſſet a quacumque ſuperiori facultate, ſemota ab ea gradibus aliquot, & cui hæc inferior tamquam baſim miniſtrat, & fundamentum; ita nutritio ex. gr., & omne, quod pertinet ad Vegetationem, confert ad conſtituendam in nobis Vitam Senſibilem; Vita Senſibilis ad comparandas rerum Ideas; Ideæ ad Attentionem in illis, & Reflexionem ponendam; & tandem ut ad Dei ideam perveniamus. Officium ergo Vires tuendi deſumi poteſt ab officio Sentiendi, Attendendi, Conficiendi Analyſim, Deum ipſum Contemplandi, qui finis, & meta eſt omnium facultatum: & ſi viam Syntheticam teneamus, deſumi poteſt ab officio incumbendi in aliorum ſalutem, & proferendi Divinam Gloriam, & Rudes inſtruendi &c. Ego vero rationem curandi Cibi malui deducere ex ſuo primo, & immediato uſu, qui nimirum eſt, ut Senſibilibus uti valeamus. Aliæ rationes hanc ſequuntur. Nam ex quo homo habet Ideas materiales, debet Attentionem, & Reflexionem addere, hinc obligatio Diligendi Deum; ex Dilectione Dei oritur obligatio quærendæ ejus Gloriæ, dando operam aliorum Saluti, impertiendo cæteris ideam Dei, & ſimilibus.

Digitized by Google

D. Quoniam ſine Æquilibrio ſolidorum, & fluidorum perturbantur nedum functiones vitales, ſed etiam animales, & per conſequens rationales; ac proinde ſenſus tum interni, tum externi rite diſpoſiti eſſe non poſſunt: tenemur autem conſervare ſenſus rite diſpoſitos ex §.3.par.2. Ergo tenemur conſervare Æquilibrium ſolidorum, & fluidorum; Æquilibrium ſolidorum, & fluidorum eſt ſanitas ex §. 7. Ergo tenemur ſanitatem conſervare (1).

§. 9. Quæ ſanitati ergo officiunt debemus a nobis repellere ex §. præcedenti.

§. 10. Temperantia eſt habitus determinandi appetitum circa potum, & cibum ſanitati convenienter.

§. 11. Tenemur determinare cibum, ac potum tum reſpectu qualitatis, tum reſpectu quantitatis ſanitati convenienter,

D. Tenemur procurare cibum, ut recta ſit ſenſatio ex §.6. par.2. Recta ſenſatio haberi nequit ſine ſanitate ex §. 8. par. 2. Ergo tenemur determinare cibum, & potum tum reſpectu quantitatis, tum reſpectu qualitatis ſanitati convenienter.

§. 12. Temperantiam excolere debemus.

D. Temperantia eſt habitus determinandi appetitum circa cibum, & potum ſanitati convenienter ex §. 10. par. 2. Tenemur determinare cibum, ac potum tum reſpectu qualitatis, tum

(1) Non ex omni ægritudine ceſſant Senſationes; in omni vero viriantur: quia morbus, cum neceſſario perturbet rectum ordinem functionum Corporis, perturbat motum Spirituum Animalium. Non ſemper ægritudines turbant ſenſibiliter Senſationes externas; ſemper vero internas operationes: quia machinæ, & ſpirituum perturbatio abripit animo ſaltem ex parte arbitrium, & poteſtatem illos ad nutum dirigendi, attendendi, reflectendi; quæ functiones ſunt omnes ad exercenda officia Religionis neceſſariæ. Potiſſima vero Ratio, cur Sanitatem tueri debeamus, quam in Demonſtrationem deducere non potui, quia ejus Certitudo in Jure Politico conſtabit, eſt, quia ſine Sanitate officiis Societatis incumbere, & aliis prodeſſe non poſſumus, imo moleſtiæ, & incommodo erimus. Poteſt & alia addi ratio, adducta a Divo Auguſtino in Confeſſionibus: Ad hoc Sanitatis officium tuendum tenemur. quia nimirum eſt veſtigium Sacratiſſimæ Unitatis; adeoque adhæſio perfecta, & integritas membrorum in ſua unitate materiali præfert ſpiritualem, & incomprehenſibilem Dei Unitatem.

tum reſpectu quantitatis ſanitati convenienter ex §. 11. par. 2. Ergo temperantiam excolere debemus.

§. 13. Religionis cauſa cibum, ac potum comparare debemus, ſicut & conſervare ſanitatem.

D. Sanitas, & cibi comparatio ideo requiruntur, ut habeantur ideæ materiales ex §. 6. & 8. par. 2. Ideæ materiales ideo requiruntur, ut habeatur Meditatio, & ex hac Contemplatio Dei ex §. 32, 33, & ſequentibus Primæ Partis; ac proinde Religio. Ergo Religionis cauſa cibum, ac potum comparare debemus, ſicut & conſervare ſanitatem.

§. 14. Temperantiam ergo ideo excolere debemus, quia ad Religionem conducit ex §. præcedenti, & 12. ſec. par.

§. 15. Intemperantia eſt habitus determinandi cibum, ac potum tum circa qualitatem, tum circa quantitatem convenienter guſtui, ac voluptati, non ſaluti, ac Religioni.

§. 16. Intemperantia ergo contra naturam eſt ex §. præcedenti, §. 11, & 13. ſec. par.

§. 17. Intemperantia circa potum adeo excedens, ut functiones capitis turbentur, dicitur Ebrietas.

§. 18. Ebrietas contra naturam eſt.

D. Intemperantia in genere eſt contra naturam ex §. 16. ſec. par. Ergo a fortiori Ebrietas, ut patet ex §. præcedenti, & ſuperioribus (1).

N §. 19.

---

(1) Etſi omnes teneamur ad Temperantiam, ſeu ad eam ciborum quantitatem, & qualitatem adhibendam, quæ Sanitati conducat; experientia tamen docet, cibi quantitatem, quæ unius eſt apta ventriculo, non eſſe alterius, ſed ſuperiorem, & e contra. Quantitas cibi excedens gignit plerumque laſſitudinem quamdam in Corpore: quantitas enim excedens tunc eſt, cum vires ventriculi ſuperat; ac proinde plus juſto fibrillas diſtendit, unde laſſitudo in corpore oritur. Caput maxime ſentit cibi gravedinem, & potus, ob ſummum cum ventre conſenſum. Quænam conducat Sanitati quantitas cibi, & potus, erit argumento ſomnus, ſi tranquillus fuerit. Difficile vero eſt dijudicare, ex quantitate, an ex qualitate ciborum in ſomno tumultus, & varietas ſit orta; etiamſi ponamus animum vacuum a paſſionibus, unde non mo-

Digitized by Google

§. 19. Nimiam cœli intemperiem corporis ſanitati officere conſtat experientia. Cum autem Ædes ad propulſandam nimiam cœli intemperiem aptæ ſint; ædium ſtructura legi naturali conformis eſt ex §. 9. par. ſec.

§. 20. Ædificandi ratio ex Religione ſumenda.

D. Ædium ſtructura eſt Legi Naturali conformis, quia ſanitati tutandæ inſervit ex §. præc. Sanitati conſervandæ Religionis cauſa ſtudere debemus ex §. 13. par. ſec. Ergo ædificandi ratio ex Religione deſumenda (1).

§. 21.

---

modica ſolet his functionibus intercedere perturbatio. Quod attinet ad ciborum qualitatem, non extant in genere tam acres animadverſiones, ut non dent ambiguitati locum; & quod præcipiunt Medicæ artis Fautores, non eſt adeo conſtans, ut non ſit obnoxium errori. Nec quæ ſtomacho conducunt unius, itidem alterius. In genere hoc ſolum ſcimus, cibos illos ſanos eſſe, qui bene in ventriculo coquuntur, & promovent expirationem, & ſecretionem humorum. Obſervandum itaque eſt, num tempore coctionis quid incommodi acciderit, num eructationes, ægritudo Capitis, ardor ventris; & cum e ſomno ſurrexerimus, an torpeamus: fæces quoque, & lotium digeſtionis peractæ indicia ſunt. Sed quod noceat, vel proſit quantitas, & qualitas ciborum, cum oriatur ferme ex ſtructura cuique propria, debet quiſque ſaltem in hac parte Medicus eſſe ſibi, collectis domeſticis obſervationibus. Ita Thummigius.

(1) Omnes humanæ facultates ordine mirabili ſtructæ ſunt a Natura, ut fini hominis, nempe Religioni inſerviant: imo non aliud ſonat Naturalis facultas, quam Vim Naturæ inſitam ad attingendum ſuum finem; & tot Naturæ inſunt facultates, quot ad ſuum finem utiles, & neceſſariæ, ut ſæpe in Prima Parte de Officiis erga Deum innuimus. Habet homo facultatem tuendæ ſanitatis, ũnde hoc Officium in natura promanat. Hoc autem officium non per ſe ipſum eſt, ſed ut expeditiores ſimus in exercendis functionibus Mentis, celeriores, alacrioreſque in idea Dei a re quacumque deducenda. Ad ſervandam Sanitatem, cujus defectu nimis langueſceret hujuſmodi ſtudium, & Voluntas ab actionibus externis peragendis retardaretur, opus eſt vitemus inclementiam temporum aliquo ſive tugurii, ſive tentorii, vel ædis præſidio, in ſomno præſertim, & requie, cum meatus, & ſpiramenta Corporis ſoluta ſunt magis. Iis autem licet immediate utamur ad tuendum Corpus, & valetudinem; quia vero non propter ſe ipſa, ſed propter officia Religionis quærenda; finis,

Digitized by Google

nis, ad quem tentoria, vel ædificia ſtruenda ſunt, vel quodvis aliud, quod ſub confuſo Ædium vocabulo complectimur, eſt Religio. Itaque priſci Patres, qui probe intellectu Legem Naturæ penetrarunt, & ſervaverunt, Abraham, Iſaac, Jacob numquam ædes ſibi, nec ſtabile domicilium erexerunt, ſed tentoriis, & his mobilibus utebantur, ut, etſi ad Corporum, & Sanitatis protectionem illa adhibuerint, ſemper tamen objiceretur oculis, velut advenæ, & prætereuntis diverſorium illas ſedes habendas; & ita conſpectu ipſorum tentoriorum veluti continuo excitarentur ſtimulo implendæ Legis Naturæ, quæ eos ad felicitatem duceret; & ad exercenda per conſequens in Deum officia, provocarentur, ut ſapienter in Opere de Moribus Veterum Iſraelitarum Cl. Fleury.

Poſſunt etiam aliæ adduci in Ædium uſum rationes, veluti ad reponenda, & tutanda, quæ ad vitam ſunt neceſſaria, ut in origine Dominiorum demonſtrabimus: ſed cum hæc ipſa, & quævis alia ratio a Religione oriatur, ut infra videbimus, ſemper ſtat, finem, ad quem ſtruantur ædificia, ſumendum a Religione, non ſecus ac in Machinæ ſtructura, quævis pars modum ac legem ſumit a fine ultimo, quo tendit. Si a fine humanæ Naturæ oculos declinabimus, ut juxta Naturam non amplius vivamus, ſic actio quæque eſt illicita. Quod accidit, non modo cum pars inferior, & ſenſus dat motum actioni, ſed etiam, cum primus, & proximus actionis finis ſit finis ultimus. Ita, ſi in ædium ſtructura ſolam ſpectemus commoditatem Corporis, aliis tunc legibus, alio decore parandæ: erit tunc alia ædes in æſtate, alia in hyeme; ſplendebit ubique, & affatim exornabitur ad voluptatem oculorum; plena erit mollibus plumis, diffluetque odoribus ad blanditiem tactus, & olfactus: quæ nedum a Religione injuſſa, ſed contra ejuſdem officia quæruntur, ut ſupra, ubi de Violentia, & Mortificatione ſenſuum egimus in Prima Parte. Licet autem hæc ab aeris inclementiis protegant Corpus, & defendant; adeo tamen debilitant, ut omnes Cœli mutationes, & minimas quaſque præter morem impreſſiones cum ſentiat, vitam nobis inquietam conſtituant, & mille caſibus obnoxiam. Quo durius eſt Corpus, minus percuſſionibus cedet, & hæ minus in illo diffunduntur: Mollia corpora facile admittunt impreſſiones, & facile admiſſas proferunt. Si in aquam lapillus cadat, ibit illico ad imum, & veſtigia ſuæ impreſſionis tam late feret, ut totum moveat agatque Lacum. Ab Ære reſiliet ſubito, nec quid veſtigii linquet. Non ſecus noſtra Corpora, quo duriora, magis & vim externarum percuſſionum, & internos motus ſuſtinebunt. Calore, & mollitie Corpus infirmatur; per frigora, & per labores duratur. Hinc Ægyptii veteres totius Orbis Sapientiores in curſu pedum, equorumque, & certa-

taminibus quadrigarum fatigabant juventutem. Noverant Ægyptii non minus Corpora curare, quam animos, ut ait in Specimine hiſtoriæ univerſalis Benignus Boſſuet. Auctor eſt Herodotus vidiſſe ſe campum, quo Ægyptii cum Perſis acie dimicaverint, & Capita Perſarum effoſſa facile comminui, Ægyptiorum vero duriora, quibus erant commixta, lapidibus; quo apparere mollitiem Perſarum, & corporum firmitudinem, quam Ægyptiis cibus modicus, & exercitationes validæ contulerint. Græci, poſt Ægyptios omnium prudentiſſimi, ad confirmandam viribus juventutem, excitandamque ad exercitationes membrorum, ludos olympicos, cæteroſque ſolemnes inſtituerunt, ut juvenes capti victoriarum gloria hujuſmodi exercitationibus domi incumberent quotidie; quo fieret, ut fortior juventus & ſuæ ſaluti conſuleret, & totius populi in bello. Quem morem ab ipſis didicere Ægyptiis, quos de exercendo juvenum Corpore, & ingenio conſulerant: unde artem aſſueſcendorum laboribus juvenum aſciverunt, etſi poſtea leges ab Ægyptiis traditas proprio accommodatas ingenio fœdaverint ſanguinis effuſione, quo in ludicris certaminibus madebant tellus, & arena. Mos, ut juvenes incumbant corporis fatigationibus ad duritiem, & robur membrorum, a Nationibus cultu præſtantioribus, ab Hæbreis, a Romanis ſemper detentus. Hæbrei pueros etiam ſuſtollendis in montes, colleſque ſaxis ingentibus exercebant. Apud Romanos lege cautum, ne quis ſellulariam artem exerceret: Romani etiam ad arandam tellurem poſt partas victorias, & obita munera diſcedebant. Barbari, & rudes populi ſuis in Regiones noſtras commigrationibus, & veluti alluvionibus has e medio conſuetudines abſtulerunt; qui cum vehementia gelu, & nivium in deſidia crevìſſent, & agrorum cultu, & quolibet alio Corporis labore, præterquam venatu, prohiberentur, ubi in mitiores plagas, humanioreſque venerunt, mollibus capti, quos prior cultus mores intulerat, ſua eos conſuetudine, ac late domina ignorantia deleverunt. Corpus aſſuetum labori, & temporum inclementiis erit robuſtum: nec inclementiæ vitandæ, niſi extremæ, & cum Natura poſcit, ut noctu &c. Hinc educationis Magiſtri præcipiunt, ut pueris nullo tegumento defendatur Caput, aut manus. Imo quidam nudos in gelidam mergunt. Ad animi quoque fidentiam, ad amovendam timiditatem ex tenuitate fibrarum oriundam, & inferendam cordibus virtutem, ac fortitudinem, lateri viſu horrentium, ac pallentium perſonarum edulia apponantur ipſis ſumenda nullo comite; in obſcura quoque loca ire cogantur, & hujuſmodi. Hominis Corpus quo magis durum, magis actuoſum, & actiones vigentius exercet. In debili corpore fervet intus actio, nec ſe profert. Durum corpus facile cibos coquet; non item debile. Itaque quos conditio vitæ deſidi addixit, ut liberalibus incumbentes diſciplinis, Clauſtrales Virgines, &c. iis maxime corporis exercitationes ſunt neceſ-

Digitized by Google

§. 21. Veſtium etiam uſus ad propulſandas temporum intemperies legi naturali conformis (1).

§. 22. Luxus eſt Profuſio pecuniæ, vel alicujus boni, ſolius oſtentationis cauſa. Profuſio pecuniæ in comparandis, & componendis Menſis ſolius oſtentationis cauſa, dicitur Luxus Menſarum.

§. 23. Profuſio Pecuniæ in conſtruendis ædibus ſolius oſtentationis cauſa dicitur luxus domorum.

§. 24. Profuſio in adornandis, & componendis veſtibus ſolius oſtentationis cauſa dicitur luxus veſtium.

§. 25. Luxus in Menſis Legi Naturali repugnat.

D. Religionis cauſa cibos quærere, & comparare debemus ex §. 13. 2. par. Ergo cibos quærere, ac comparare ſolius oſtentationis cauſa legi naturali repugnat. Quærere, ac comparare cibos ſolius oſtentationis cauſa eſt luxus in Menſis ex §. 22. Ergo luxus in Menſis legi naturali repugnat. Idem dic de luxu veſtium, & domorum.

§. 26. Id, quod nos perficit, vel nobis congruit, dicitur Bonum. Quod perficit Naturam, & Eſſentiam, dicitur Bonum Eſſentiale.

§. 22.

---

neceſſariæ; ſecus objicientur innumeris malis, quæ ſolet adducere infirmitas Corporis.

(1) Præter neceſſitatem tuendi corpus ab injuriis temporum, eſt alia ratio fortaſſe major pro aliquibus ſaltem Regionibus adhibendarum veſtium; ad operiendas nimirum corporis partes, ut procul abeat omne incitamentum luxuriæ. Hac de cauſa id genus veſtium, quæ non cadant ad pedes, quæque tegant concinne ſingulas partes corporis, & membrorum diſtinctionem non negent intuentibus, inviſum fuit populis cultioribus, Græcis, Hebræis, Romanis: uſæ illis ſolummodo Nationes rudes, quæ finem a natura, & honeſtate non petunt. Veſtes, quæ non celant apte corporis partes, nec omnibus confuſe conveniunt, ſed ſingula oculis diſcreta membra objiciunt, honeſtatem, & pudicitiam non valde tuentur. Mos fluentium veſtium, quæ contegunt omne corpus, manſerat noſtris Regionibus, inter Clericos ſaltem, Mulieres, ac Monachos: nunc autem ab his quoque ſenſim exulare videtur. Id accidit, cum non natura, ſed commodum, & voluptas dant vivendi legem.

Digitized by Google

§. 27. Quod perficit Animam, Bonum Spirituale.

§. 28. Quod perficit Corpus, Bonum Corporale.

§. 29. Sanitas, Cibus, Potus, Veſtes, Ædes, ſunt Bona Corporalia.

§. 30. Bona Corporalia propter Religionem quærenda.

D. Religionis cauſa Cibum, Potum, Sanitatem curare debemus ex §. 13. par. ſec., ſicut ædes edificandi ratio e Religione deſumenda ex §. 20. par. ſec., ſeu potius propter ſanitatem ædes ædificare tenemur ex §. 19. par. ſec. ſicut & Veſtes, Sanitas, Cibus, Potus, Ædes, ſunt bona Corporalia ex §. 29. par. 2. Ergo bona hæc Corporalia propter Religionem quærenda.

CAPUT II.

De Cultu Mentis.

§. 31. MEns eſt facultas Cognoſcitiva.

§. 32. Facultas Cognoſcitiva dividitur in Analyticam, & Syntheticam (1).

§. 33.

(1) Una eſt, ut ſæpe diximus, Facultas Cognoſcitiva. Hæc in plures dividitur facultates, quarum diſtincta cognitio licet proprie pertineat ad Pſychologiam, unde fas eſſet ut jam cognitas, & certas ponere; quia tamen non omnes, ut dixi in Præfatione, dediſtis operam huic Philoſophiæ parti; præterea ne etiam eorum, qui huic incubuere ſtudio, fatigem mentes, aſſidue eos amandando ad partem Philoſophiæ tam ab hac diſſitam; officiis excolendi omnes mentis facultates præponam breviter, ac veluti per tranſennam, quæ ſint præcipue ejus functiones, ut ita, prius objecta vobis idea ſingularum facultatum, quodnam officium ſit in quacumque excolendum, quod eſt ſolum hujus loci, facilius intelligatis. Juvabit id quoque, quia, poſt expoſita facultatum officia, per occaſionem quandoque addemus in Notis modum, quo id officium opere compleatur; ſeu praxim, qua excoluntur hæ facultates. Quod licet ſit Philo-

§. 33. Fundamentum omnis Cognitionis ſive Syntheticæ, ſive Analyticæ, eſt ſenſatio. Senſatio autem eſt Perceptio objecti externi, per mutationem in organis ſenſoriis ab ipſo inductam. Cum autem objecta externa, quæ mutationem in organis ſenſoriis inducunt, ſint materialia, & compoſita, Senſatio eſt Perceptio objecti Materialis, ſive Compoſiti (1).

§. 34.

---

loſophiæ Practicæ, tamen ob rationes modo adductas etiam ex hac Philoſophiæ parte, quæ juri Naturæ affinior eſt, aliqua depromemus.

Cognitio igitur in ſe una, dividitur primo in Analyticam, & Syntheticam. Analytica utimur, ut ex rebus compoſitis per ſecretionem compoſitionis ad Deum, verum ſimplicem, & purum ab omni compoſitione, gradiamur: Synthetica, ut a Deo, vera ſimplicitate, deſcendamus ſemper aliquid addendo ope phantaſiæ in Creaturas, quæ utique omnes habent Compoſitionem, aut materialem, ut Corpora, aut parem illi, quæ ſpirituum propria eſt, qui, ut ait D. Thomas, non ſunt expertes omnis compoſitionis. Per analyticam itaque e Creaturis gradimur ad Creatorem, ex hoc mundo ad Cœlum, ad illud Cœlum, ſeu Regnum, quod eſt intra nos, quodque Intelligibile appellatur. Per ſyntheticam a Deo deſcendimus in Creaturas, e cœlo in humilem terram, ſeu mundum adſpectabilem. Per Analyticam, quod hauſimus ſenſibus, paulatim exuit ſuam compoſitionem, & concretionem, non deſiſtente ſuper idem objectum quacumque potentia, & facultate Analytica ſuas gradatim exercere functiones. Cum autem nedum ab adoleſcentia, ſed & ab origine ipſa inter creaturas, & compoſitionem verſemur mente, æquum eſt inſpicere prius qua ratione, media analytica facultate, ab his gradatim ad Creatorem aſcendamus. Omiſſis itaque iis mentis operationibus, quæ ad fugandas mentis noſtræ tenebras, & ad ejus cultum potius, quam ad neceſſitatem legis ſervandæ, & ad Deum gradiendi, vel in Logica, vel in Pſychologia traduntur, eas tantum facultatis Analyticæ functiones recenſebimus, quæ nos ad Dei cognitionem recta perducunt; expoſituri poſtea, quibus a Deo ad Creaturas deſcendimus, in Synthetica.

(1) Objecta compoſita cum non ſint in ſe unum Ens, ſed multa; cognitio, ut ea percipiat, opus eſt diſpergatur in plura; unde oritur, quod animus ſe diſſipari ſentiat in perceptione ſenſibilium. Nam cum diffunditur, & quaſi ſolvitur in tot partes princeps animæ facultas, quæ eſt cognitio, patitur, & quodammodo dividitur ſimplicitas Animæ ipſius, ex qua ſcatet, in qua reſidet, & cum qua eadem cognitio efficit unum. Anima cum exeat ab *Eſſe* primo ſimpliciſſimo, ad ipſum omnibus ſuis co-

Digitized by Google

§. 34 Poſt Senſationem ſequitur Apprehenſio: Apprehenſio eſt facultas illa, qua anima ex immutatis organis extrahit, & ſibi ſitit objectum (1).

§. 35 Apprehenſionem ſequitur Attentio, quæ eſt facultas illa animæ, quæ cognitionem ſuper unam objecti partem ſiſtit, ſeu dirigit (2).

§. 36.

---

conatibus tendit, & in cognitione ipſius quieſcit, ut in priori parte demonſtravimus. Hinc eſt, quod anima, quæ ſenſibilia tantum ſuevit noſcere, & amare, patitur, & coaleſcit ſenſim, & tranſit in materialem, in eo ſenſu, quem in noſtra Reali Pſychologia demonſtravimus: & quo plura ſunt objecta, in quæ cognitionis ſuæ, & voluntatis potentias effundit, & ſpargit, magis diſſipatam ſe ſentit. In hac autem Propoſitione id aſſero, ſenſationem eſſe fundamentum cujuſque cognitionis tum Analyticæ, tum Syntheticæ, juxta ſenſum in Præfatione expoſitum, undecumque hoc ſit, ſive ex Influxu Phyſico, ſive ex harmonia, ſive ex cauſis, ut ajunt, occaſionalibus. Ita expoſita Propoſitio eſt extra omnem controverſiam.

(1) In hoc differt ſenſatio ab Apprehenſione. Senſatio eſt motus ille Organorum, quem percuſſio objecti inducit; & motus cum ſit quid compoſitum ex pluribus actibus, neceſſe eſt in organis ferat tumultum, & confuſionem. Quare ſenſatio, ut diſtincte dicamus, eſt is motus, & tumultus, in quem Anima devocatur, mediis ſpiritibus animalibus per nervos ſenſorios percurrentibus, ac *eſſe*, ſeu *exiſtere aliquid* ſit conſcia. Apprehenſio eſt actus ille animæ, quo compeſcit motum, & agitationem organorum, & excipit objectum ſolum, ac veluti prehenſum ad ſe trahit, ut videat quidnam ſit id, quod ex immutatione organorum ſcit eſſe, ſeu ut melius dicam, exiſtere. Anima in apprehenſione trahendo ad ſe unicum objectum, & ſeparando cognitionem ab organorum tumultu, reddit ſe ſibi magis, minus ſenſibus obruta. Nihilominus Cognitio objecti manet obſcura adhuc in apprehenſione: Cum enim objectum, in quod intuetur Anima, ſit compoſitum; Cognitio in plura dividitur per omnes ſimul, & ſine ordine: unde ut clarius cognoſcat, indiget Attentione.

(2) Anima, ut videat clarius objectum, & inſpiciat proprietatem aliquam, aut notam, per quam ab omni alio objecto diſtinguat, incipit initium primo figere ſuper partes, & cognitionem deditam in totum objectum colligit omnem in unam partem, & contrahit. Ita omnibus radiis cognitionis ad unam tantum compoſiti partem confluentibus, clarior ſit cognitio. Veluti cum radii ſolis, per varias partes corporis diſper-

Digitized by Google

perſi, poſtea in unum ope lentis collecti, dant vividiorem lucem, & calorem. Hinc anima quo magis a compoſitione ſe expedit, & a concreto, eo magis a mundo ſenſibili diſcedit, & redit in ſe ipſam, & cognitione clarius elucefcente, rareſcunt tenebræ. Tenebræ ex materia oriuntur: cum enim multitudo plurimum vacui complectatur propter poros, & intermedium, quod inter corpuſculum unum, & alterum intercedit, (quidquid ſit an re detur vacuum, certe enim vacuum eſt intuentibus,) cognitio in vacuum merſa conſtituit ex parte mentis obtenebrationem, & ignorantiam; imo eſt ignorantia, ſeu inſcitia; quare, quo minus compoſitionis videt cognitio, eo minus habet ignorantiæ, ſeu tenebrarum.

Quod facultas attendendi major ſit, vel minor, ex qualitate ſpirituum, & ſoliditate phantaſiæ pendet. Ex primo ſpiritus eſſe illos, quorum miniſterio anima, dum eſt in hoc Mundo, uti neceſſario debet ad cognoſcendum, & ex horum natura oriri clariorem, aut minus vividam cognitionem, eſt experientia compertiſſimum. In ſpirituum compreſſione, ſeu ſyncope ceſſat plane omne cognitionis genus: & ſiqua in parte corporis fluxus ſpirituum, aut omnino, aut ex parte interrumpitur, ibi vel ceſſat omnino, vel intermittitur ſenſatio, & membrum illud ſtupet. Cum ſpiritus ſunt defecatiores, ut mane, vividior eſt cognitio; cum lenti, & graves ob recentem graviorum humorum ſecretionem, & augmentum, ut poſt epulas, minus clara cognitio. Ibi præterea magis clara cognitio, ubi major affluxus ſpirituum. Hinc ad rem plenius cognoſcendam e toto corpore ſpiritus evocantur. Spiritus natura ſua ſunt quædam errans, & irrequieta materies, unde ipſum nomen ſpirituum. Quo debilius corpus, & cum ipſo fibræ, & nervi, per quos ſpiritus diſcurrunt, eo minorem ad eoſdem ſpiritus regendos, continendoſque habet vim, & facultatem. Nam cum anima ſuper corporis, & ejus partes determinatam habeat poteſtatem; opus ideò eſt corporis ejuſdem auxilio ad hos ſpirituum errores coercendos. Hinc Infantes nullam ſuper objecta adhibent attentionem: hinc etiam pueri leves ſunt, nec facile ſiſtuntur. Neceſſe eſt ergo, ut corporis viribus creſcant, ac firmentur. Hunc ob finem Eccleſia patitur lege jejunii immunes eſſe adoleſcentes, donec ad firmitatem pervenerint, ſi nihil aliud obſit. Itaque ubi ſpiritus abunde gignuntur, licet corpus ſit ſolidum, ratione tamen habita ad copiam ſpirituum, dicendum debile, & ibi quoque minus facilis attentio. Hanc enim ob cauſam minus attendunt juvenes, & minus figuntur. Quamobrem vim oportet ſibi inferant multam, ſi legem ſpiritibus velint imponere, & quibus par eſt ſtudiis ſe dedere. Hanc vim ut juvenes exerceant, addendi ſtimuli, ſive triſtes, ut minæ, & verbera, ſive dulces, & jucundi, ut præmia, & laus; licèt hæc cum officiis Religionis, & recta juvenum educatione non conſentiant, uſque dum ſpiritus

§. 36. Attentionem ſequitur Reflexio. Reflexio eſt ſucceſſiva Attentio ad cæteras notas, ſeu partes objecti apprehenſi (1).

§. 37.

edomiti certo moveantur curſu, & magis obtemperent nutibus voluntatis: Hinc aperte intelligitur, cur adoleſcentibus odio ſit moderatum vitæ genus, ſimul etiam cur neceſſe ſit, ut primo quoque tempore morum diſciplinis, & certis vivendi legibus addicantur. Cum vero natura hominis pendeat a natura ſpirituum, & ſolidorum qualitate; quo puriores ſpiritus, eo vividior cognitio: ſed quo puriores, eo inquietiores, minuſque regimen, & moram patiuntur; unde prægrandis intellectus viri non facile attendunt: ſed quod deeſt attentionis addit ſplendor cognitionis, & brevi aſſequuntur, quod attentiores poſt longum ſtudium, & laborem. Magnus ſpirituum vigor ſoliditati fibrarum fere officit: calor enim diſſolvit corpus, frigus vero adſtringit. Hinc ſoliditatem phantaſiæ cum magnitudine intellectus conjungi raro evenit: Loquor hic de intellectu, non de Talento, vel Ingenio, quæ Vulgus non diſtinguit. Hinc rari nimis ſunt hi, in quibus magno intellectui phantaſiæ vigor accedat. Ex hoc facilitas ſtudiis incumbendi oritur; & diu in eodem molimine perſiſtendi; ex illo nimis eſſe acie penetrantem, & in ſtudiis errantem. Hoc in amentiam, illud vergit in fatuitatem: Loquimur hic de ſummis gradibus; vulgo homines in medio verſantur; aliis prædominatur phantaſia, aliis vero claritas cognitionis.

(1) Major, aut minor attentio ortum habet ex majori, vel minori ſupra ſpiritus poteſtate, ſive ex facultate dirigendi eoſdem quo libeat; præterea ex ſoliditate, & firmitate phantaſiæ, quæ ex una parte idearum exceptarum ſit tenax, ex alia robore ſuo ferat opem imperio voluntatis retinendi diu ſpiritus ſuper ideam; unde fit, ut apprehenſum objectum longius conſideretur. Quo magis ergo domiti ſunt ſpiritus, quo ſolidior phantaſia, ſive textura interna corporis, magis anima poterit dirigere ſuper objecti partes cognitionem, & enumerare notas. Attendere eſt figere mentis intuitum ſuper objectum, & illud conſiderare in aliqua ſaltem nota; Reflexio, cum progredimur, & ſuper alias partes hoc ipſum exercemus; & tunc erit plena Reflexio, cum jam notæ omnes omnino ſint perpenſæ. Hoc ut efficiat anima, oportet ejus cognitionem non eſſe in objecto merſam, ut in ſenſatione, ſed ſuper ipſum, imo ut ab objecto plane ſit expedita; ut converti libera poſſit in omnes partes, ita, ut cognitio non ſit cum objecto veluti implicita, & circumvoluta; ut in apprehenſione, ſed veluti ſub ſe teneat; nec modo ſub ſe teneat, ut in Attentione, ſed ita ab eo ſit exſoluta, & libera, ut totum infra, ſupraque conſpiciat, & reſpiciat, evolvat penitus, & ad arbitrium. Hinc qui cum reflexione agit, non eſt amplius in materia,

Digitized by Google

§. 37. Reflexionem ſequitur Analyſis. Analyſis eſt diviſio partis a toto, & ejuſdem in ſuas notas, ſeu partes reſolutio. Seu potius eſt continuata Attentio ſuper partes partis objecti apprehenſi (1).

ria, ſed ſupra ipſam; ſentitque intuitum non effuſum extra, ſed intus regreſſum. Anima ergo per reflexionem quo magis a materia recedit, eo ſibi ipſi fit propior cum facultatibus ſuis.

Conſideremus nunc qui natura ſint ad reflexionem aptiores. Cum reflexio pendeat ex affluxu ſpirituum, & ſoliditate corporis, videntur utraque concurrere in viris. Corpus jam ſolidum, quod ad ſuum ſtatum devenit: ſpiritus, qui cæteroquin non exultantes ad copiam ſatis aptam gignuntur, & jam ultro pergunt in rectos curſus poſt longum uſum, & exercitationem, ad quam a primis annis officia conditionis addixerunt; domiti etiam ſunt variis caſibus, & laboribus viri; ſimul & variis objectorum notis eorum ætas inſtructa eſt. Juvenes, ut aſſueſcant rectæ & firmæ Reflexioni, neceſſe eſt ſpiritibus exundantibus dent quamdam effuſionem; incitandi propterea, cum recuſant, ad laborem, & corporis fatigationes. Ex alia parte, ut fibræ, nervique dureſcant, non modo victus non deſit corpori neceſſarius, ſed ad nutrimentum quoque ſuppetat, incrementumque membrorum, unde habeatur ſoliditas; & ita unum cum altero temperandum, ut ſpirituum effuſio non vires minuat, nec vires, & ſpiritus, qui creſcunt, animo dominentur. Ex hoc etiam apparet, ægros, quorum eſt debile corpus, & cum corpore phantaſia, minus eſſe idoneos ad reflexionem, minus ad ſpiritus cohibendos: quibus, ut ad nutum agerent, foret exercenda vis major, & hæc majorem cum ferat diſſipationem, ſubita pareret deliquia, & vis morbi fieret major relate ad ſpiritus. Senum etſi durum ſit corpus plus æquo; hoc ipſo tamen plus æquo comprimit ſpiritus ex una parte; ex alia, quia torpent ſpiritus, nec quanta opus eſt copia gignuntur, minuitur ex defectu reflexio: Hinc pueris æquiparantur ex ratione oppoſita.

(1) Quod Mens efficit ſuper objectum in Reflexione, dicitur efficere ſuper ſingulas ejuſdem partes in Analyſi. Unde ſi adhibenda animæ vis in figendis ſpiritibus, & in figenda cum ipſis Cognitione ſuper objectum, & partes ejus; multo magis, ut omnes ducat in unam partem, & enumeret ſenſim notas, quæ partem illam conſtituunt. Facultas animæ aciem defigendi ſuper has tenues notas, aut partes partium compoſiti, dicitur Acumen: quia, ut intuitum ſtatuat ſuper ipſas, opus eſt in unum colligat omnes cognitionis radios, & veluti acu penetret; ac dividat has minutiſſimas partes: Anima in Analyſi contrahit magis cogni-

Digitized by Google

§. 38. Reſolutio partis in irreſolubiles notas dicitur vera Profunditas (1).

§. 39.

---

gnitionem, & ad ſuæ naturæ ſimplicitatem admovet facultates. Quo magis Cognitio erit in unum collecta, ſplendebit magis, & prout materia exuit magis objectum, magis ab illo recedit, reditque ad ſuam ſimplicitatem, & in ea ad principium, unde exivit. Analyſis ſuos habet gradus: Quo plus progreditur in dividendis, expendendis partibus, & partium iſtarum partibus etiam ulterioribus, magis Analyticus eſt Intellectus, ſumitque paulatim nomen Profundi. Vera autem Profunditas eſt prout §. ſeq.

(1) Nunquam Anima in reſolvendis creatis rebus aſſequi poteſt veram earumdem ſimplicitatem; quia nulla creatarum rerum poteſt habere veram ſimplicitatem; quia nulla eſt vera ſui eſſe Ratio. Vera ſimplicitas ſicut eſt verum principium rerum, ita eſt vera Ratio eſſe. Compoſitio ſicut non eſt verum principium rerum, ita nec Ratio vera eſſe: Quamcumque rationem e compoſito educimus, & ex nexu partium, non eſt veræ rationis eductio, ſed meræ hiſtoriæ accurata animadverſio. Ipſa Anima licet expers compoſitionis materialis, non tamen eſt expers omnis compoſitionis. Id aſſerit Divus Thomas, & in noſtra Pſychologia Rationali demonſtravimus. Hinc ejus ratio non adhuc comperta, nec eſt cognita penitus.

Anima in hac operatione, ſeu plena reſolutione notarum, ideam objecti materialis componentium, transfert ſe ſupra creata omnia; & ex hoc mundo, & e corpore ſoluta, ad intuitum, ſeu potius perceptionem Simplicitatis, & Intelligibilitatis Mundi proxime admodum accedit. Mundus hic compoſitione conſtituitur, & materia; & ideo ſenſibus ſubjacet, ſeu Cognitioni confuſæ. Anima tunc eſt in Mundo aſpectabili, cum ei præ oculis eſt compoſitio; ſicuti tunc dicitur inhabitare corpus, cum ejus Cognitio merſa eſt in concreto. Quare, ubi aut diſruptis ſolidis, aut Spiritibus omnino perditis, præciditur facultas obſervandi res materiales, quæ objiciuntur Animæ motu ſolidorum, & excitatione Spirituum, morimur: ſive Anima diſcedit a corpore, ab hoc Mundo ſenſibili tranſit ad inſenſibilem. Anima ergo ubi perfectis his ſuper objecta ſenſibilia functionibus, quas non perficit, niſi conatibus multis, & multa ſibi allata vi, ſimplex in ſua Cognitione totam ſe ad inſenſibilia, ſeu potius indiviſibilia collecta tranſtulit, unitati ſuæ ipſam ſe proximam cum ſuis facultatibus facit; ſeu facultas cognoſcendi ſimplici principio adhæreſcit. Unde Anima, multiplex in ſuis actionibus, per facultatem tamen cognoſcitivam maxime adfinis eſt ad

per-

Digitized by Google

§. 39. Mens eſt Animæ intuitus, quo ſeipſam intime percipit, & in ſe ipſa veram ſimplicitatem. Seu potius eſt actus Ani-

percipiendum ſimplex hoc principium, unde omnes oriuntur ejus facultates; & in hac unitate ſicut percipit omnium facultatum ſuarum principium verum, ita etiam omnium creatarum rerum eſſe, & veram Rationem. In hoc Principio, ut ait Cardinalis Cuſanus *lib.* 1. *de Docta Ignorantia c.* 24., non eſt aliud, vel diverſum, ubi homo non differt a terra, & tamen veriſſime ibi ſunt &c. Dixi, quod Anima percipit: quia ſicut in ſenſibilibus cognitio habet ſuos gradus, & primo, cum objectum diſtat, conſcia eſt aliquid exiſtere, nihil ultra cognoſcens; quo plus deinde accedit, majorem recipit claritatem; idemque moveri &c. cognoſcit; & cum eſt prope, conſiderandi ſingillatim notas, & quaſi reſolvendi facultatem habet: ita in inſenſibilibus. Cum primum Cognitio devenit ad ſimplicitatem, conſcia tantum eſt exiſtere verum, & ſimpliciſſimum Principium, & Cauſam omnium creatarum rerum; ſed non cognoſcit: certiſſima jam eſt, quod ſit; non vero intuetur proprietates. Deinde quoad fert infirmitas naturæ, percipit ſenſim aliquam affulgere proprietatem &c. uſquedum tandem in ipſum ſe abdit Principium, in eoque veluti perit, & intime totam ſe mergit, neque profunditatem, neque altitudinem comprehendens, aut unquam comprehenſura. Anima enim in primo hujus itineris ingreſſu deſtituitur vocibus, & priſtina loquendi copia: Quia cum quælibet vocis idea ſit compoſita, & in compoſitione, ſeu phantaſia ſedem habeat, & receptum, nequaquam poteſt illi ſimplicitati congruere. Multo minus exprimere vocibus poteſt qualitates, & attributa: quia in primo gradu hujus cognitionis non dum ea obſervavit, & ſi quiddam obſervat in ſecundo gradu, non poteſt aliis exterius eloqui ob rationem modo adductam. Cum enim deſumere deberet ideas proprietatum e phantaſia, ut communes aliis faceret, materiales redderet, & illis plane oppoſitas. Hinc potius denegando quid non ſit, quam enunciando quid ſit eloqui poteſt. Id unum poteſt afferre, eſſe ſe de ſimpliciſſimi hujus Principii exiſtentia intime certam, & penitiſſime confirmatam. In primo gradu habetur Intelligentia Dei; in ſecundo Enthuſiaſmus Philoſophicus, notiſſimus inter Platonicos; in tertio daretur Naturalis Magia, cujus non vocaretur in dubium poſſibilitas, ſi daretur in Anima vis in adeo intima tendendi, talemque ſuſtinendi niſum, quin perpetuo linquat corpus non reditura. Si tamen tendere adeo poſſit; ſi detur, media mortificatione, & abſtractione, & contemplatione divinorum, tanta in Anima vis; fortaſſe non videantur Fabulis accenſenda, quæ de Py-tha-

Digitized by Google

Animæ, quo a ſenſibilibus averſa ad ſimplicitatem convertitur (1).

§. 40.

---

thagora, quæ de veteribus Chaldæis, ac Perſis feruntur. Sed meum non eſt talem hic inſtituere quæſtionem, aut oſtendere quomodo in tertio gradu poſſit eſſe Magiæ locus. In mea Pſychologia Rationali fuſe de hoc agam: ſatis nunc exceſſimus juſtos limites: regrediamur propius ad rem noſtram. Non poteſt Anima diſcedere a materia, ſeſeque intus recolligere, quin accedat ad Deum: ſuper Mentem enim, ut Pſychologia rationalis, & Theologia naturalis demonſtrat, ſtatim habitat Deus in ſua infinitate, hoc eſt illud Regnum, quod eſt intra nos, ad quod prævaricatores redire jubemur ab Auctore naturæ; hoc illud Principium, unde exeunt creaturæ omnes, & in quod revocamur quotidie media Mortificatione, & Contemplatione; hæc eſt illa ſolitudo animæ, ubi Deus eam colloquitur; profligata enim cum ideis materialibus omni multitudine objectorum, ſola vera ſimplicitas objicitur; nempe Deus. Anima ſi e ſenſibilibus omnino ſemota reperitur, cum ob corruptionem corporis in ſenſibilia redire amplius nequeat propter defectum ſpirituum, quorum eſt materiales ideas excitare, ac luſtrare in Phantaſia, & propter defectum idearum, quæ cum corpore corrumpuntur, & evaneſcunt; non poteſt non gaudere Supremo Ente magis, aut minus perfecte, prout magis, aut minus in ipſum ſe receperit. Hæc eſt illa felicitas, illa quies, ad quam tota natura fertur, Reſolutio, & Reditus in ſuum Principium.

Eſt & alia nobilior via in hoc ſe mergendi Principium, & nobilior felicitas, quæ a ſupernaturali cognitione procedit, & virtute: ſed de hac pertinet ad Theologos, non ad Philoſophos.

(1) Hic incipit Philoſophia, ait Plato in Phædone Philoſophiam definiens: ſeparationem Animæ a corpore. Hic incipit homo perfrui ratione rerum. Hic incipit uſus intellectus. Intellectus, aut intelligentia rerum eſt cognoſcere, ſeu potius percipere res in intimo earumdem rerum; in ſuo vero Principio, in ſimplicitate, ibique incipit percipere earumdem Eſſe: unde oritur nomen Intellectus *ab Intus*, *& lego*. In perceptione ſimplicitatis ſita eſt appereeptio Veri, ac Juſti. Comparare ideas externas, ac materiales cum hac perceptione ſimplicitatis, vel corporales cum Spiritualibus, eſt quod proprie hominem diſtinguit a bellua. Brutum poteſt inter ſe ipſas conſerre, & nectere ideas materiales; & reipſa nectit, ut experientia quotidiana docemur, prout magis, aut minus habet perfectam ſtructuram, & cum ſtructura phantaſiam; ſed connectere, & comparare, etiam perfecte, ideas materiales, non eſt indicium Intellectus, quo præcipue inſignitur homo; non eſt indicium, quod ratio vera rerum intelligatur; ſed ſolum, quod nexus rerum materialium

vi-

§. 40. Enthuſiaſmus eſt illa intima apperceptio Primi Eſſe, qua anima ſentit in Deo ſe vivere, moveri, & eſſe.

§. 41.

videatur, & ordo. Ideo Rationalia vere dici non poſſunt Bruta: & ratio eſt, quia cognoſcere nexum rerum materialium, (licet hic mentiatur earumdem rationem,) revera non eſt niſi phyſicus conſtans ordo, quo materialium rerum una alteram excipit. Ex facultate materiales res cum ſpiritualibus comparandi, ac proinde vi libertatis has præ illis eligendi, oritur facultas bonum, ac malum operandi, quod peragere Brutis non eſt conceſſum, quia intellectum non habent, quod unum non obſervatur in Brutis. *Sicut equus, & mulus, quibus non eſt intellectus*: Si hæc diſtincte in Pſychologia obſervarentur, opinor non tantum denique futurum laboris, ut qualis ſit brutorum anima, ſtatuatur. In intellectu jus rerum appercipitur; in Phantaſia factum: in Intellectu conſcii vere ſumus Dei; in Phantaſia Creaturarum: in interno eſt Regnum Dei; in externo Regnum brutorum, & hominum, qui nil ſapiunt altum, & ſpiritale. Quodcumque appercipimus in interno, vere ſcimus, & nobis ipſis vere conſcii ſumus; quodcumque oberrat, & obverſatur in phantaſia, non vere eſt illud ſcire, ſed tantum ejus hiſtoriam habere: quodcumque diſcitur in libris, etiam rationes rerum evolventibus, ſi non intime appercipitur, vere non ſcitur; ſed potius litteratum efficit hominem, & doctiſſimi Lamy judicio, inſipientem aſinum litteris obrutum, libris onuſtum; de quo verum, quod dicunt, prudentiam, & mundanarum rerum ne regimen quidem noſcere.

Plotinus ait: Veniſſe e Cœlo animam, & in deſcenſu ſtetiſſe mediam Cœlum inter, ac terram; ſignificans animam in ſede ſibi propria ſic eſſe ſitam, ut ſi vertat ſe, & retro reſpiciat, detur oculis Deus; ſi coram, ſeu foras, terra obverſetur, ſeu Creaturæ: & quia compos libertatis, eſt penes ipſam converti ad Deum, vel ad creaturas. Deus, ac terra, ſimplicitas, & compoſitio termini ſunt e regione oppoſiti, quos inter poſita, & ſita eſt anima, ſive illa poteſtas aut ad ſimplicitatem veram, Cœlumque accedendi, aut in compoſitionem, & terram, deſcendendi. Hic eſt animæ ſitus, quæ nec peccavit, nec aliquid adhuc boni egit. Non poteſt ea converti ad creaturas, quin Creatorem relinquat; nec avertit plene a creaturis, quin ad Creatorem convertatur. Hinc peccatum definitur; Averſio a Deo, & Converſio ad creaturas. Cum autem duplici conſtet anima facultate cognoſcendi, & volendi, ſeu operandi; plena Converſio dari nequit, niſi & mens, & voluntas ad Deum redeat. Converſio plena non poteſt fieri, ut diximus, niſi prius plene ſint creaturæ relictæ; partialis autem averſio a creaturis non eſt Converſio ad Deum: ubi enim multitudo, poteſt unum derelinqui, quin de-

Digitized by Google

§. 41. Enthuſiaſmus dividitur in intenſum, & minus intenſum. Hic eſt, quem jam definivimus.

§. 42.

---

deſeratur alterum. Cum Deus, & creaturæ termini ſint inter ſe oppoſiti, quilibet affectus, & adhæſio ad creaturam opponitur Converſioni ad Deum. Vera igitur nequit dari Converſio ad Deum, quin ſit ſimul totalis Averſio a creaturis. Hinc jure in Evangelio : *Nemo poteſt duobus Dominis ſervire, aut enim unum odio habebit, & alterum diliget, aut unum ſuſtinebit, & alterum contemnet. Non poteſtis Deo ſervire, & Mammonæ &c.* Et ideo niſi Cor, quod voluntatem comitatur, & ſequitur, deſerat omnino creaturas, mens, in qua ambæ facultates, & volendi, & cognoſcendi conjunguntur, & ſubſiſtunt, non convertitur plene ad Deum. Sed quoniam experientia docet, naſci nos cum mente, non converſa ſolum, ſed ſepulta, & perdita inter Creaturas, ſive inter appetitus, & ſenſationes rerum materialium; eſt qui credit, experientiam ipſam probare: animam a prima ſui origine naſci in peccato: & cum gratia Baptiſmatis non amoveat fomitem, ac nutrimenta peccati, cum non amoveat impreſſiones externas, & corporis infirmitatem; ideo anima hoc veluti pondere uſque deprimitur, atque ab excelſa mentis ſede in terram detrahitur, ſeque in eam diſpergendi, perdendive ſentit hanc tantam vim.

Simplicitas, quam mens appercipit ad illam converſa, cum ſit viva, appercipit ejus actionem, appercipit motum, impulſumque æternæ immutabilis legis, quem nos Inſpirationem appellamus, ſeu ſenſum, apperceptionemque conſiliorum Creatoris, & Conſervatoris, ut diſcernantur ab illis motibus, qui a Deo Trino, & Uno, ſeu Sanctificante proveniunt, quæ divinæ, ſanctæque inſpirationes dicuntur; ſi ulterius tendit, ingrediturque anima in vivam ſimplicitatem, quaſi exuta nativa ſibi compoſitione, non appercipit amplius eſſentiam; ſed in vera ſimplicitate, quæ Deus eſt, vivere ſe, moveri, & eſſe ſolum appercipit. Genus ergo cum ſimus Dei, ſicuti quidam veſtrorum Poetarum dixerunt, ait ad Athenienſes Paulus: quod dicitur Enthuſiaſmus, de quo in brevi pertractatione, cui Titulus, *Diatriba de Enthuſiaſmo Platonico*, ſatis loquitur Hanſchius; & hæc erat meta Platonicorum, ad quam per varia mortificationum genera ferebantur. Fama eſt ulterius proceſſiſſe Pythagoram, Perſas, Egyptios, alioſque, & in hoc ulteriori mentis progreſſu, cum jam Enthuſiaſmo aſſueviſſent, incipiebant clarius, & paululum diſtinctius appercipere motum, impulſioneſque, ſeu potius directionem actionum Dei; unde productionem rerum extra naturæ ordinem elicerent, & futura præſagirent. Hinc illorum, ſi vera ſunt, habere ortum potuit

Ma-

§. 42. Enthuſiaſmus Intenſus ſubdividitur in Extaſim, & Raptum.

§. 43. Raptus eſt, cum ex intima primi Eſſe apperceptione ea dulcedine facultas appetitiva perfunditur, ut inferiores appetitus in unum collecti ſupra voluntatem ferantur in Deum.

§. 44. Extaſis eſt, cum in intima animæ apperceptione ita incipiunt clareſcere divinæ perfectiones, ut omnes cognoſcitivæ Facultates collectæ ſupra mentem Deum contemplentur.

P §. 45.

Magia Naturalis. Ulterius progreſſa mens in Eſſe primum, in Eſſe verum, in Eſſe, unde exivit, ſe non reditura mergit. Merſio hæc Apotheoſis appellatur. Quæ vero docent, Animam in Deum rediiſſe, hæc ſunt: Rerum extra ordinem Productio, & futurorum Prædictio. Nam, ſi poſt diſceſſum e Mundo aſpectabili futura prædicit, res extra ordinem producit, certiſſime ſe non extra Deum, ſed in ipſo verſari demonſtrat: Unde merito ante ſuorum Apotheoſim Eccleſia Miracula requirit; licet hic mentis progreſſus, & in Divinum Numen merſio non ſine virtutis divinæ auxilio præ humanæ naturæ infirmitate evenire poſſit. Genera hæc operationum Mentis, ſicuti & cæterarum, jam nobis ignota quædam, & ſomnia phanaticorum facta ſunt; Quoniam exulavit ſcientia cultus Mentis, quæ tantopere viguit apud Platonicos, & Pythagoreos: Et ſi quando in aliquibus dantur, (eſt enim Gratia, quæ mentem Chriſtianorum erigit,) non Magiæ nomen obtinent, ſed Prophetiæ, ex ea parte, qua Mens proſpicit futura; Donum vero Miraculorum vocatur, quatenus res fiunt præter morem, curſumque naturæ, aut ordinem cauſarum ſecundarum.

Hic vero animadvertendum, quod inter Enthuſiaſmos magnum veteres diſcrimen ponebant: Alius erat Enthuſiaſmus verus, qui Platonicus appellatur, ſive Platonicorum; alius Cybelicus; alius Bacchicus, &c. Hi duo Sedem ſuam nimis in humili habebant, & nonniſi ab exagitata, ac pulſa certo quodam timpanorum Fremitu, Clamorumque phantaſia tota eorum erat origo: ad priorem tamen illum per abſtractiones, & varias corporis afflictiones evadebant. Cæterum, ut res in Pſychologia Rationali fuſe pertractandas, hic omittimus.

Homo ſi Mente, aut potentia Cognoſcitiva non devenit ad appercipiendum intra ſe, receſſu a ſenſibilibus, & materialibus, Simplicitatem Veram, Verumque Eſſe, Veram Rationem, Cauſam, Fontemque, & metam ſimul omnium rerum, nunquam vere erit ratione præditus, & compos; nunquam utetur Intellectu, aut erit Intelligens, & Cognoſcens Deum; (loquor hic de operatione Mentis directa, non de re-

fle-

§. 45. Cum in Enthuſiaſmo ita dilatatur, & protenditur apperceptio, ut in primo Eſſe rationes futurorum agnoſcat; vel contra, ex primo Eſſe in ſe hauriat vim extra ordinem producendi Phænomena, dicitur in Philoſophicis Magia, in Moralibus Prophetia, & Donum Miraculorum.

§. 46. Cum omnes facultates tum appetitivæ, tum cognoſcitivæ ſimul in unum collectæ, unitatemque phyſicam adeptæ, in primum Eſſe immerguntur, dicitur Apotheoſis (1).

§. 47.

---

flexa; hæc enim neceſſaria ſolum iis, qui ſcientiam profitentur;) numquam ideam boni, & juſti habebit; ſed ejus ratio communis erit cum brutis, quibus non eſt Intellectus. Erit profecto hujuſmodi ratio materialis: cultior tamen ob majorem perfectionem phantaſiæ, & amplior ob majorem obſervationum numerum, ac varietatem; & ideo magis provida rerum materialium in aliquibus ſaltem ad corpus pertinentibus, in periculis, in calamitatibus, in negotiatione, conferens inter ſe res ob innumeram fere objectorum multitudinem, quam excipit magis, quam quodvis brutum; ſed non excedet limites brutorum: ideoque gradibus differt a brutis, non ſpecie. Hinc etiam apparet apertiſſime evolutionem, & aſſecutionem Rationis veræ nequaquam a Cognitione Dei, a Cognitione Juſti, & Recti, Religionis, Officiorumque Naturæ poſſe ſejungi. Ex quacumque creatura, & objecto, habito per ſenſus, ſi potentia cognoſcitiva perſequatur ſenſim, & ordine a natura propoſito, ſuas operationes, vehetur ad appercipiendum Deum: & quo plura ſunt objecta, e quibus Primi Entis Intelligentiam haurit, cum ob eorum varietatem neceſſario ſemper novam relationem, novam attributorum manifeſtationem, novum ſenſum appercipiat, eo magis augetur idea Dei, ſive, ut rectius dicam, augetur in anima noſtra, creſcitque magis ipſe Deus, latius ſe proferentibus limitibus noſtræ Mentis, latius, ut ita dicam, ipſo intra nos Deo magnificato: *Magnificat Anima mea Dominum:* Et hac ratione, ſcilicet ſæpius ideam Dei a creaturis abſtrahendo, fit in nobis habitus Deum in omnibus pervidendi, & omnia in Deo contemplandi; Unde Dei præſentia toties ab Aſceticis inculcata, ne degeneri converſatione ad creaturas redeamus, reſultat. Quo plura ſic objecta reſolverimus, eo aptiores evademus ad evulgandum per opera noſtra in creaturas Deum.

(1) Mens ſicut infra ſe in duas ſcinditur Facultates Cognoſcitivam, & Volitivam; ita ſupra ſe Unitatem & Simplicitatem obtinet: & ſicut

§. 47. Tenemur excolere omnes potentias facultatis Analyticæ.

D. Natura tendimus ad contemplationem Dei ex §. 34. Par-

P 2 tis

---

cut infra ſe creaturas, & compoſitionem ſpectat; ſic ſupra ſe Creatorem, & Eſſe illimitatum experitur. Hic eſt Participatio prima, & ſimpliciſſima: hic Ens Participatum, Ens Primum, a quo ipſa Eſſe participat, ſentit intime, & agnoſcit pleniſſime; Fontem nimirum, qui, licet ſit a rebus diſtinctus, non diviſus tamen, Vitam, Motum, & Eſſe communicat; perennem Inſpirationem, ſine qua nec Actionem, nec Exiſtentiam, nec Eſſe ipſum anima obtineret. Hic experitur Vim ſine limite, Vigorem ſine duritie, Dulcedinem ſine ſapore: Vim experitur, quæ omnia continet, quin contineatur ab aliquo: Vim, qua vigent omnia, & ſunt: Vim denique ſimpliciſſimam, per quam, licet omnia ſint inter ſeſe diſtincta, indiviſa tamen manent, in eoque intime conjuncta. Inde lex Naturæ diligendi Proximum emanat: inde quoque Amor Proximi, & Primi Eſſe unus eſt. Ab hac ſimpliciſſima Unitate Mens noſtra licet diſtincta ſit, dividi nequaquam poteſt, quin in nihilum abeat. Ens Primum dividi ſine ſui corruptione a Mente poteſt; at non contra. Mens quo longius per cognitionem, ac voluntatem ab hoc Eſſe ſejungitur, (non enim poteſt per Eſſe ſejungi;) eo magis tenebris ſe immiſcet, & compoſitioni.

Jam vero quoniam perdifficile eſt corruptæ noſtræ naturæ ſejungere omnino ſe per voluntatem a creaturis omnibus, ac proinde ſupra Mentem ſe conſtituere, ubi poſſit hoc experiri; hinc perdifficile eſt Enthuſiaſmo frui ſine aliqua Spiritus Sancti gratia. Præterea cum ex dulcedine ſuaviſſima, quam ſentit hoc in ſtatu Mens conſtituta, ſumma ſanguinis, ac rapidiſſima ſpirituum æſtuatio ſequatur; idcirco nedum difficile, ſed & impoſſibile eſt, præ corporis imbecillitate, hoc in gradu diutius immorari.

Cum autem Mens in duas infra ſe, uti diximus, Facultates dividatur, Cognoſcitivam ac Volitivam; quamquam Volitiva præpediatur cupiditate, & hæreat creaturis, poteſt tamen quandoque Cognoſcitiva tantum Facultas, præ acrimonia nervos extimulante, & ſpiritus attenuante, a compoſitione abſtrahi ita, ut ad Intellectum aſſurgat, indeque poſſit Enthuſiaſmum experiri. Non ergo longiſſime a veri diſcedit ſimilitudine, quod apud Hanſchium in Diatriba de Enthuſiaſmo Platonico de Platonicis legitur. At vero perfectus non erit Enthuſiaſmus, niſi & Voluntas, & Cognitio ſimul abſtrahantur a ſenſibilibus. Eoque Platonici ex ſuæ Sectæ inſtitutis, teſte laudato Hanſchio, jejuniis, & omnimoda abſtinentia ad id ſeſe præparabant.

Quo

Digitized by Google

tis primæ. Contemplatio haberi nequit ſine intuitu Mentis in Deum; ergo tenemur excolere mentem ex §.39. par.2. Intuitus ſim-

---

Quo magis a Mente ad ſenſibilia deſcendit Voluntas, eo magis veluti multiplicatur, & quamdam in inferiori parte induit pluralitatem ex pluralitate rerum, ac ſenſuum, in quibus res appetit. Ita & Cognitio, uti pluries dictum eſt. Poteſt itaque fieri, ut per abnegationem ſenſuum, ac ſenſibilium, in radice ſua veluti in unum collecta, ex dulcedine de Mente immiſſa, Deum verſus feratur. Si liceret hoc loco, & Motus, & Gravitatis originem exponere, quod in Coſmologia Generali præſtitimus, facillimum eſſet etiam exponere, quomodo Corpus quoque hunc in Deum motum ſequi debeat ex eo, quem diximus, appetitivarum omnium Facultatum in unam communem ſimplicemque ſui originem receſſu.

Non item dicendum de Extaſi. Cum Facultas Cognoſcitiva tota ſimul in Mente collecta Vitæ Fonti, ac Lumini indeficienti proxima ſit; non adeo eſt difficillimum illabi in ipſum illud Divinum Lumen, quo clareſcant in ipſa Dei Numen, & Perfectiones; unde Revelatio proprie exurgit. Hanc non ſequitur neceſſario corporis elevatio: tantum rerum omnium extra nos poſitarum in corporis organa impreſſiones non percipiuntur. Si vero tum voluntati, tum cognitioni Divina accidat communicatio; tunc Extaſis proprie dicitur, cum ex Divina Revelatione extra ſe quodammodo, nimirum extra ſenſibilia omnia anima feratur. Revelatione Divinorum extra Raptum frui, facile admodum eſt: Raptu vero ſine Revelatione fere numquam.

Vis ea ſumma, quæ ſupra Mentem eſt, omnia vel ordine, vel extra ordinem una ipſa creat ac producit. Non ergo huic impoſſibile, nec valde adeo difficile ſemet Menti aliquando communicare, vim ſuam res extra ordinem producendi in eam derivare. Et tunc qua parte Mens in Voluntatem deſcendit, vi inſolita repleri, impellique ſe ſentit.

Vis, quæ ſupra Mentem eſt, ſicut Vis eſt producendi omnia; ita & Ratio ipſa una eſt Præteritorum, Præſentium, & Futurorum. Pari igitur ratione non impoſſibile, nec adeo difficile Menti, Vim ipſam intime ſentienti, vel futura, vel quæ extra ordinem, & hujus ſenſibilis mundi ſeriem ſunt, appercipere.

Sed cum ideo Mens a Deo Optimo Maximo ita conſtituta ſit, ut in duas diſcedat Facultates, ut inde ordine ſuo, ſeu Naturali, per Cognitionem a creaturis plura Dei Attributa edificat; per Voluntatem plura ex Deo naturaliter accepta aliis communicet; idcirco nec neceſſarii ſunt, nec Naturali Lege præcepti gradus hi ſupra Mentem recenſiti, præter Enthuſiaſmum, (quo ſcilicet appercipiamus & in Deo nos vivere, move-

Digitized by Google

ſimplicitatis nequit haberi ſine profunditate ex §. 33. part. 2. Ergo tenemur excolere profunditatem. Profunditas ſine Analyſi

---

veri, ac eſſe,) & motionem ad id, quod opere exercere debeamus. Infimus Enthuſiaſmi gradus eſt, & nominatur Conſcientia clara ac ſimplex, quæ rectum fert de rebus judicium, earumque bonitatem, aut pravitatem, Deo ſuggerente, & intime præſente, dijudicat. Hæc nequit obtineri, niſi cum Cognitione Voluntas non intra, ſed ſupra ſenſibilia conſtituatur.

Quod ſi Mens ſupra ſenſibilia conſtituta, & Primo Enti, per naturalem participationem ipſi intime præſenti voluntario a creaturis receſſu, acceſſuque ad Deum, per amorem conjuncta reperiatur; ubi per corporis diſſolutionem phantaſiæ ordo diluatur, deleaturque, in ipſum immergatur neceſſe eſt: quæ dicitur Apotheoſis. Contra vero, ubi naturalis ordo per corporis diſſolutionem præcluditur, & anima in phantaſia, ſeu intra creaturas reperiatur; tum quoque naturali neceſſitate anima in Primum Eſſe ſe recipit, ſed extra ordinem; ac proinde nullus ei reſtat ordo, ſed ſempiternus horror.

Plura hic differerem pro ingenii tenuitate de Felicitate: quomodo ſcilicet Voluntas in Primum Eſſe ſupra Mentem ingreſſa unam cum eo naneiſcatur voluntatem, & licet ſupra ſe limitibus ſemper ſcateat; infra ſe infinitam veluti propriam experiatur voluntatem; ac proinde omnibus, quæ Dei ſunt, tamquam ſibi propriis, gaudeat; iiſque ſupra ſe effulgeat virtutibus, quas in hoc mundo degens acquiſiverit, Divino tamen Fulgore clarificatis.

Plura quoque differerem de ſtatu Infelicitatis, quam, licet in Primo Eſſe conſtitutæ, experiuntur animæ. Vim illam in Primum Eſſe per ordinem ingrediendi vi naturalis participationis nedum non amittunt, verum etiam ex diſſolutione phantaſiæ acrior fit, ac ſenſibiliſſima. Imo pondus innatæ tendentiæ totum animæ ſine ulla ſenſibilium diſtractione incumbit. Ordo jam præcluſus; nec ſine nova creatione, quæ aliud efficeret individuum, renovari poteſt, cum ex corporis diſſolutione Voluntas, quatenus eſt Facultas extra ſe progrediendi, evaneſcat. Continuo igitur niſu, totaque ea vi, quæ prius in plura diſpertiebatur, in Deum tendit: continue repellitur ob præcluſum jam ordinem: continuo igitur conatu, numquam ceſſaturo, incaleſcit anima, & ignem ſibi generat. Cum vis hæc tendendi ad Deum ex intimo cujuſque eſſentiæ ſinu proficiſcatur, nempe ex intima cuique participatione Primi Eſſe; intimus ideo calor. Experientia quemque docet Animam ſentire calorem. Animam ſibi calorem ipſam gignere ex intimo numquam amit-

lyſi ex §.37. par. 2. Ergo tenemur excolere Analyſim : Analyſis ſine reflexione ex §.36. par.2. Reflexio ſine Attentione ex §.35. par.2. Attentio ſine Apprehenſione ex §. 34. par. 2. Ergo tenemur excolere omnes potentias facultatis Analyticæ (1).

§. 48.

---

amittendo, intermittendove conatu, clare oſtenditur in Pſychologia Rationali. Calor denique in corporibus ipſis non ex multiplicitate, ſed ex vi cuique particulæ indita oritur : quoque vis perfectior, eo calor eſt ferventior.

Sed fortaſſe cupreſſum ſciam ſimulare ; at non hic locus ; cum hæc ſine Ontologicis, Coſmologicis, Pſychologicis, ac Theologicis inſtitutionibus lucem ſuam habere non poſſint. Imo poſtremas haſce Propoſitiones jure in Schola prætermiſeram, & hic decreveram prætermittere. Cum enim ſenſibilibus objectis non innitantur ; & quod ſenſibile atque obvium non eſt, turpi Phanatiſmi nota inuſtum rejici ſoleat ; timebam jure, ne veritates practicæ, & ad informandos componendoſque mores admodum utiles, Mathematica Methodo ſtabilitæ periclitatentur. Nihilo tamen ſecius animum induxi meum, ut Propoſitiones haſce non omitterem, ut ita, & quam appetat Felicitatem natura, pateſcat, & qua demum via ad eam evehamur : tum quoque ex obſcuriſſima, atque intellectu perdifficili doctrinæ profunditate quiſque cognoſcat, ſupra ſenſibilia Felicitatem ſitam eſſe. Quæ enim ſenſibus ſunt impervia, ſenſibilium ope exprimi numquam bene poſſunt. Nec vero ſic quoque mihi perſuadeo Phanatiſmi notam me penitus, aut ſaltem penes omnes declinare. Quiſquis tamen erit, cui hæc non omnino probabuntur, meminerit quæſo quam ſupra innuimus Philoſophiæ definitionem a Platone traditam per Separationem Animæ a Corpore, ſeu ab ſenſibili : perlegat diligentiſſime, quæ mox afferemus, Auguſtini teſtimonia, ex quibus noſcet profecto Sanctum Doctorem expoſitos Enthuſiaſmi gradus expertum fuiſſe. Neque dixeris Auguſtinum Gratiæ Supernaturalis auxilio ea paſſum eſſe. Reponam enim, (miſſis Philoſophi partibus, quas hactenus egi, ut juſto prælio cum eo contendam, qui, relicta Philoſophia, ad Theologica dogmata confugit ;) naturam ab initio vi Divinorum Attributorum neceſſario elevatam, ut in Prima Parte innuimus, idcirco hoc pollere Felicitatis appetitu, atque hunc ordinem habere ; ad quem implendum ſuas Deum Supernaturales vires communicare, uti apertiſſime in Theologicis Inſtitutionibus demonſtratum eſt.

(1) Mira videbitur, nec ante audita Propoſitio, quæ ſtatuit eſſe omnibus excolendas, utpote officium a Natura præſcriptum, omnes potentias

tias

Digitized by Google

§. 48. Sapientia eſt habitus actionibus fines convenientes præſcribendi, & media ad eos ducentia eligendi, fineſque par-

---

tias facultatis Analyticæ, Mentem, Profunditatem, Acumen &c. Quomodo enim id fiat, ſi non pauci, vel ex iis, qui Dialecticæ ſtuduerunt, & Metaphyſicis rebus, multoſque annos in ſcientiis verſati, tantum abeſt, quod eas omnes excoluerint, ut quarumdam, veluti Mentis, ne nomen quidem intelligant? Qua ergo ratione fiet hoc ab Opifice, Agricola, Paſtore? Et ſi id officium eſt a natura præſcriptum, quomodo tam communiter, conſcientia non reluctante, negligitur? Ita quidem videbitur; & tamen cuinam hominum, qui pietatem foveat, aut prima in cor pietatis ſemina repoſuerit, cui nimirum hominum, qui leges Naturæ, quarum una Pietas eſt, eaque potiſſima, ex iis, quæ prima Parte dicta ſunt, ſervare ſtudeat, novum erit legenda cuique, & audienda, quæ addita meditatione, ferant ad Deum; & ſemper mente ſpiritalia tenenda, non ſenſibilia? Standum in mundo, ſive inter materialia, tamquam non ſimus: utendum hoc mundo, tamquam non utamur; corpore nimirum in mundo, mente abdita in Deum? Cui non notum ſemper præ oculis mentis gerendum Deum? Deus eſt prope, eſt intus in omni re, imo res quævis eatenus eſt, quatenus in ipſo eſt, movetur, & vivit. Auguſtinus lib. 7. Confeſſionum cap. 10. *Et inde admonitus redire ad memetipſum, intravi in intima mea, duce te, & potui, quoniam factus es adjutor meus. Introiſti, & vidi qualicumque oculo animæ meæ ſupra eumdem oculum animæ meæ, ſupra mentem meam, Lucem Domini incommutabilem: non hanc vulgarem, & conſpicuam omni carni, nec quaſi ex eodem genere grandior erat, tamquam ſi iſta multoque clareſceret, totumque occuparet magnitudine. Non hoc illa erat, ſed aliud; aliud valde ab iſtis omnibus: Nec ita erat ſuper mentem meam, ſicut oleum ſuper aquam: nec ſicut Cælum ſuper terram, ſed ſuperior; quia ipſa fecit me; & ego inferior, quia factus ſum ab ea. Qui novit veritatem, novit eam; & qui novit eam, novit Æternitatem. Claritas novit eam.*

O æterna Veritas, & vera Charitas, & cara Æternitas. Tu es Deus meus: tibi ſuſpiro die, ac nocte: & cum te primum cognovi, tu aſſumpſiſti me, ut viderem eſſe, quod viderem, & nondum me eſſe, qui viderem. Et reverberaſti infirmitatem aſpectus mei, radians in me vehementer, & contremui amore, & horrore: & inveni me longe eſſe a te in regione diſſimilitudinis, tamquam audirem vocem tuam de excelſo. Cibus ſum grandium: creſce, & manducabis me; nec tu me in te mutabis, ſicut cibum carnis tuæ; ſed tu mutaberis in me. Et cognovi quoniam propter iniquitatem erudiſti hominem, & tabeſcere feciſti ſicut araneam animam meam. Et dixi: Numquid ni-

Digitized by Google

partiales ita ſibi invicem ſubordinandi, ut propiores ſint media remotiorum (1). §.49.

---

nihil eſt veritas? Quoniam neque per finita, neque per infinita locorum ſpatia diffuſa eſt? Et clamaſti de longinquo: Imo vero, Ego ſum, qui ſum. Et audivi, ſicut auditur in corde: & non erat prorſus unde dubitarem: faciliuſque dubitarem vivere me, quam non eſſe veritatem, quæ per ea, quæ facta ſunt intellecta conſpicitur. Et capite 2. *Quomodo Creaturæ ſunt, & non ſunt: (Et inſpexi cætera infra te, nec omnino eſſe, nec omnino non eſſe. Eſſe quidem, quoniam abs te ſunt: non eſſe autem, quoniam id quod es, non ſunt. Id enim vere eſt, quod immutabiliter manet. Mihi autem inherere Deo bonum eſt, quia ſi non manebo in illo, nec in me potero. Ille autem in ſe manens innovat omnia*). Et quando ſenſibus, imaginatione, & quacumque alia Animæ operatione, quæ circa phantaſiam verſatur, id adverti poteſt, aut animadverſum umquam fuit abſque meditatione, quæ ope reflexionis, attentionis, & profunditatis peragitur, quæ purum ab impuro ſecernit, animamque intus revocat? Deum in omni re intueri; præſentemque in omnibus habere non poteſt Anima ſenſibus immerſa, phantaſia obvoluta, niſi prius enucleet materialia, quorum in intimo conſpicitur Deus. Materia enim eſt illa denſiſſima nubes, quæ ſpiritum, & ſpiritalia involvit, & ab oculis intuentium arcet. Quæ omnia mentis operatione peraguntur. Hinc vocibus ſcientiæ propriis exponere facultates, exprimere officium, quod natura inſtinctu ſuggerit, & interno ſenſu aperit in conſcientia, ratiocinatione in demonſtrationibus, & experientia palam omnibus facit, (in hominibus nempe piis, qui vocem ejus audiunt, & ſequuntur;) non eſt nova inducere, non novis oneribus, legibuſque gravare conſcientias hominum, non novum artifici, non agricolæ, & paſtoribus, ſed novas tantum, non noxias adhibere voces, & diſtincte, quod in via ſalutis peragunt, qui ſaluti, & felicitati ſtudent, explicare. Sanæ mentis vir nil vocum novitate movetur; imo probat conſilium, ſi ut res e confuſione eximatur & earum notitia perſpicua omnibus præbeatur, omni amota ambiguitate, ſuus cuique rei terminus receptus uſu affigatur, aut inventus, ſi deſit, & neceſſe ſit indiciis monſtrare recentibus abdita rerum, aut e veteribus mutuatus, ſi jam deſueverit, quod rei illius cognitio ceciderit. Denique in præcedentibus Propoſitionibus non quidem nova aſſerimus, ſed quæ ſunt in natura, quæ in ſe gerit unuſquiſque, quæ debet, ſi propriam vult aſſequi felicitatem, ſervare, quæ obſervare, & obſervant quicumque felicitatem quærunt, licet his vocibus non omnes indigitaverint. *Non nova, ſed nove*, ait in ſuo Commonitorio Vincentius Lyrinenſis.

(1) Quicumque ſcit horologium ſolvere, ſcit etiam illud bene conſtruere, parteſque denuo ſuo loco reſtituere, & quæ fuere in ſolutione ulti-

§. 49. Homo ſapiens eſſe debet.

D. Natura humana tendit ad ſuum finem; nempe Deum, ex §. 14. Partis primæ. Ergo finis conveniens actionibus hominis eſt Deus. Ergo homo, ſi juxta naturam vivere velit, debet ſibi proponere Deum tamquam finem actionibus ſuis convenientem. Debet inſuper velle bona corporis, nempe victum, ſanitatem &c. propter ſenſationes, ex §. 3. 6. 8. partis ſecundæ. Senſationes propter apprehenſionem, Ap-

Q pre-

ultimæ, primas ponit in compoſitione; Anima ſicut progredientibus ordine facultatis Analyticæ functionibus, quodcumque objectum per ſenſus ei detur, aſſueſcit reſolvere in ſuum ultimum principium (quod Deus eſt); nam finem aſſequi cujuſque rei idem eſt, ac excitari in ipſa veram Dei ideam per motionem, qua a ſenſibilibus ad inſenſibilia, a terra ad Cælum, a compoſitione tranſit ad veram ſimplicitatem, liberior ibi facta, & undique expeditior pro diverſis attributis, quæ objectum quodcumque præfert: ita ſimiliter aſſueſcit ſuas actiones componere, cum regreditur; & quod in Analyſi, ſeu ſolutione objecti fuit finis, ponit Principium, & fundamentum in actione; Dei nempe motionem ab interno ad externum: *Ab Jove principium*: quæ motio relegens eaſdem vias, aut phantaſiæ regiones, per quas aſcendit reſolutum objectum, curſu rapido deſcendit in ſenſus, & fit ſenſibilis, & æque, ac cætera omnia objecta, gloriam Dei promovet, & auget finem ultimum rerum omnium, & actionum in humili hoc mundo: *omnia in gloriam Dei facite*: Noſtra autem perfectio finis eſt earumdem actionum ultimus in mundo alto, ut ita dicam, & Intelligibili, nempe in Regno Dei: & ſicut quodvis objectum in Analytica via pro diverſis gradibus Analyſis, & diverſis phantaſiæ regionibus compoſitione exuitur; ita actio recta, licet ejus primum, & verum principium ſit ſimpliciſſimus Dei motus, cum vero egreditur citra mentem, gradatim facultatibus noſtris Syntheticis cooperantibus, compoſitionem induit, uſquedum in externo noſtra tota videatur, & ſenſibilis, licet in interno principium ejus ſit Deus. Loquor hic de actione recta juxta ordinem naturæ: nam etiam ad actiones malas an concurrat Deus, & quomodo, non eſt hujus loci diſputare: ſic etiam qua ratione comitetur ipſe Deus ſingulas actiones noſtrarum facultatum, pertinet ad Theologiam, & Pſychologiam rationalem, ubi agitur de Phyſico Dei concurſu. Verus igitur ſapiens ille eſt, qui novit actionibus, & affectibus ſuis præſcribere finem ſuæ naturæ convenientem. Sicut ergo finis facultatum analyticarum eſt cognitio Dei, ita Syntheticarum eſt palam facere ejuſdem attributa: & ſicut quodvis objectum, ſi or-

prehenſionem propter attentionem, Attentionem propter reflexionem, & cætera omnia propter mentem; hanc denique ut cognoſcat Deum ex §.47. par. 2., ac proinde debet coaptare me-

---

ſi ordine gradiatur, & liberum ſit ab externa omni, & inordinata vi; nec paſſio, vel inordinatus motus naturæ, ex inteſtino certamine proveniens, ſe interſerat, evehit nos neceſſario ad Deum: ita quævis noſtra actio, quæ a Deo habet principium, ſi in deſcenſu non abripitur, aut miſcetur cum extranea potentia, vel paſſione, ſed procedit recto curſu juxta naturæ ordinem; neceſſario gloriam Dei promovet, & profert diverſimode, pro diverſo, per quem ſe exerit, ſenſu; diverſimode, pro diverſa, quam præfert, facie; ſicut diverſimode pro diverſo ſenſu, quo accipimus, objectum quoque excitat in nobis ideam Dei. Hæc eſt illa rectitudo, per quam, & ſinceri reddimur, & fortes; ſimplices, ut Columbæ, ſapientes in Conciliis, & Synagogis. Per hanc rectitudinem non ſumus nos, qui loquimur, ſed Spiritus Creatoris & Conſervatoris Dei: non utique Sanctificatoris; ita enim ſi Deus conſideretur, agit per Sapientiam, quam generat, nobis participatam, Fidem nempe, quæ eſt in ordine ſupernaturali; de qua Sapientia nos hic non loquimur, ſed de ea, quæ pertinet ad ordinem naturalem, quæque dici merito poſſit Sapientia experimentalis. Hæc eſt illa rectitudo, quæ faciles, ac plenas reddit vias Juſtorum, per has vias rectas deducit Dominus Juſtos. Hæc eſt denique illa rectitudo, quæ potentias naturali ordine nectit, & quam, qui Bonus merito dicitur, vultu, greſſu, & totius Corporis habitu præſefert intuentibus. O ſæculi ſapientes, ecqua vobis elucet tot, quibus involvimini, politicis adinventionibus idea Dei? Ecquam ideam Dei in cordibus aliorum excitant tot actiones, tot opera, quæ molimini in cordibus, in cubilibus veſtris? Compungimini. Unus eſt humanæ Naturæ finis, unus ſapiens. Deficimus in dies in adinventionibus noſtris.

Sed ut aliquid dicamus de ea ſapientia, quam nec natura percipit, nec felicitatem promovet hominis; & tamen tanto eſt in pretio, & tantopere ab omnibus expetita: hæc a vera Sapientia non in alio diſtinguitur, niſi in fine. Finis, quem ſibi proponit natura, eſt ſola gloria Dei: & ſicut quæcumque res creata per ſeſe enarrat gloriam Dei, ita Anima intuens rerum naturam, & compoſitionem, aſſueſcit exercere, & componere ad eumdem finem actiones ſuas; unde vere naturales evadunt; & quia vere naturales, & juxta naturam, Bonæ. Finis vero, quo ſpectat Sapientia hujus Mundi, poteſt eſſe multiplex ex multiplicitate rerum, quas aſſequi, & perficere intendit animus. Poteſt eſſe multiplex ex affectu, & paſſione illa, quæ noſtro cordi prædominatur. Hinc quæ-

media ita, ut fines propiores ſint media remotiorum. Finis unus eſt ex §. 15. Partis primæ. Debet ergo ſemper proponere actionibus ſuis finem convenientem. Ex iteratis acti-

---

quærit alius honores, alius gratiam, favoremque Potentum Sæculi; cumulare divitias alius, alius amorem, & reverentiam populorum; non deeſt, qui ſuas affatim explere libidines cupiat: denique tot poſſunt eſſe ſpecies Sapientiæ, quot poſſunt eſſe fines; & tot poſſunt eſſe fines, quot paſſiones hominum, & affectus. Omnibus vero ſpeciebus debet hoc eſſe commune, ſcire nimirum, unde deſumenda media; res deinde adeo apte connectere, ut una ſit ad aliam via, uſque dum ad finem perducant. Quæ ſint res digerendæ, & quomodo, deſumendum a Fine, quem nobis proponimus. Communiter ad cujuſvis generis ſapientiam confert multitudo idearum, evolutio hiſtoriarum, noſſe regionum, & cœli varietates, noſſe mores hominum multorum, & urbes: facile eſt enim in tanta multitudine reperiri media fini convenientia: & quo major eſt varietas, & numerus idearum, eo facilior delectus. Neque parum proderit ad agendum recte, & utiliter, ſi attente ratio conſideretur, & via, quam quis alias in negotiis ſimilibus tenuerit; & an omnia ex animi ſententia proceſſerint, necne; tum erroris cauſa perquiratur, ut devitetur: ſin vero res ceſſerit proſpere; nullus, vel minimus totius ſeriei greſſus negligatur. Dein operæ pretium erit expendere, num ſimilis fuerit caſus ille; num detur eorumdem mediorum copia: apta autem mediorum, opportunaque colligatio plurimum pendet ab habitu bene nectendi ſyllogiſmos, & diſcurſum recte formandi, qui, ut in Præfatione innuimus, ab nexu, & ſerie ſimilium idearum magna ex parte conſurgit.

Verus ſapiens ille eſt, cujus ſemper oculis tamquam finis obverſatur vera felicitas, & labi in infelicitatem metuit. Media illam quærendi, Bonum, in hanc ruendi, Malum. Bonum omnis actio, qua accedimus ad Deum; Malum illa actio, qua recedimus a Deo. Actiones, quibus præ omnibus aliis accedimus ad Deum, ſunt perfectæ in hoc ſenſu, quod illæ inter multitudinem magis congruunt fini. Verus ſapiens ille eſt, qui non modo finem habet ſibi propoſitum, veram felicitatem, & ſic dirigit media, ut recta ad finem conducant; ſed qui ſcit ea ſeligere, queis breviori itinere ducatur ad finem. Defectus hujuſmodi ſapientiæ, ſicut iter ad finem deveniendi profert; ita affert moram propriæ felicitati. Non ſolum itaque ſapiens plenam debet habere ſcientiam boni, & mali, ut poſſit illud perſentire, & diſcernere quocumque in caſu, quacumque in circumſtantia; ſed etiam habere, vel acquirere de-

Digitized by Google

bus ſit habitus; ergo debet acquirere habitum actionibus finem convenientem præſcribendi, & media ad eum ducentia eligendi, fineſque particulares ita ſibi invicem ſubordinandi, ut propiores ſint media remotiorum. Habitus actionibus ſuis finem convenientem præſcribendi, & media ad eum ducentia eligendi, fineſque particulares ita ſibi invicem ſubordinandi, ut propiores ſint media remotiorum, dicitur Sapientia, ex §. 48. præc. Ergo homo ſapiens eſſe debet.

§. 50.

---

bet promptitudinem decernendi, quid ducat propius ad felicitatem, aut pernoſcendi, quid in colliſione congruentius ſit fini. Ut hoc opere compleamus, in primis oportet noſcere ſe ipſum, paſſiones, quæ nos premant, quæ turbant naturalem ordinem actionum ducentium ad finem, aut ſuis inquietis motionibus ſubripiunt animæ plurimos actus, unde in hoc ad felicitatem itinere mora multa: oportet, inquam, eas pernoſcere, ut comprimamus, aut occaſionem declinantes, ideas ſcilicet, quæ poſſint excitare hos motus, aut cor noſtrum ad obnitendum aſſuefacientes.

Quod ad alia ſapientiæ genera, ſi digna tamen ſunt nominis hujus, invenire, & cognoſcere media pendet a finibus, quos quiſque ſibi objicit. Ita qui præeſt, poteſt aut felicitatem ſubditorum, aut ſuam gloriam, aut voluptatem pro libidine imperandi, ſive ut aurum, & divitias multas comparet, & hujuſmodi plures fines alios ſibi proponere. Si ſibi proponat externam tantum Reipublicæ felicitatem, non veram, quæ a Religione ſejuncta eſſe non poteſt; inſpiciendum prius ingenium ſoli, quænam cibaria, quanta ferat: ex loci genio num ſuppetant agricolæ, num ſciant terram excolere: quod eſt totius vitæ naturalis fundamentum. Tum incolarum in genere noſcenda indoles, communis inclinatio, mores, leges, queis mores aſſueverint, quas leges ægre ſuſtinuerint, oppugnaverint, & quibus Imperantibus: omnem denique hiſtoriam, monumentaque regionis perdiſcat; ut, obſervatis mutationibus, animadvertat, qua magis, qua minus in inducenda varia regiminis ratione laboratum fuerit; & ita juxta id, quod præcipit Prudentia, de qua inferius, eas leges refigat, quæ nationi opponuntur; illas, aut reſtituat, aut paulatim inſerat, quæ faciunt ad naturam indigenarun. Si det ſatis ad vitam regio, nil patiatur importari, quod non neceſſitati, aut utilitati ſerviat, ne pecunia exportetur: ſi plus ſatis; curet exportationes: ſi juſto minus; exportationem pecuniæ ob res vitæ neceſſarias reparet cultura artium, vel alia quacumque ratione. Ærarium, & fiſcus, illud, ut

Digitized by Google

§. 50. Sapientia ergo, quam natura exigit, eſt habitus acquirendi propriam felicitatem, ex §. præc. (1).

§. 51. Facultas exterius recte exprimendi, quæ interius concepta ſunt, dicitur vulgo Talentum (2).

§. 52.

ut præſens remedium in ingruentibus neceſſitatibus Reipublicæ præſto ſit, hoc, ut ſibi, ſuæque familiæ juxta naturæ leges conſulat, ne deficiant unquam, imo ne non abundent, provideat; idque eo minori, quo poteſt, Reipublicæ detrimento, vel cum commodo etiam ſtudeat præſtare. Conſideranda præterea finitimarum Urbium, & populorum natura, ut ab advenarum, & hoſtium incurſu ſint tuti Cives, & alia hujuſmodi, de quibus in Jure Publico differemus, ubi de Officiis Magiſtratuum. Ex his, quæ breviter innuimus, aperte videtur, profunditatem mentis, per quam cognitio ſupra materialia conſtituitur, & quæ totum, in ſuas per analyſim diſtributum partes, veluti de ſuperiori quodam ſolio deſpicit, per ſapientiam deſcendere in opus, & fieri concretam, & ad praxim, ſeu Syntheſim reduci. Quo mens profundior, & quo magis in partes reſolverit compoſitum, eo erit major ſapientia. Profunditas ergo, quæ eſt greſſus analyſis ultimus, in ſyntheſi idem eſt ac ſapientia: nec erit umquam ſapiens, qui rerum naturam non reſolverit ope conſiderationis in ſuas partes.

(1) Rationem Demonſtrationis deſumpſimus e paucis, quæ paulo ante demonſtravimus. Verumtamen ipſa extenditur non ſolum in omnes Propoſitiones, quas oſtendimus, ſed & quæ poſtea oſtendentur. Nam omnes Demonſtrationes ſicut indicant ad quid teneamur, ita ſimul demonſtrant medium ad parandam felicitatem, & ſimul quoque modum diſponendi noſtras actiones, ut ex ipſa demonſtrationum ſerie cognoſcetur. Et ſi quando plura colliduntur officia; ipſa tunc ratio ſuggerit, quid in hoc conflictu faciendum, & in Syſtemate Colliſionum ab ipſa Natura educto videbimus.

(2) Sapientia deſtituta Talento ad praxim, ſeu Syntheſim nihil valet. Quod ſapienter in Phantaſia noſtra delineavimus, & veluti manu deſcripſimus, nexus ille, & catena idearum una alteri ſuccedentium, tamquam media ad finem ultimum, cauſam veram actionum noſtrarum, ut deducatur ad opus, neceſſe eſt tranſitum faciat per inferiores corporis facultates, uſquedum interiore, & perpetuo noſtri corporis motu ſe prodat, & opere compleatur. Sicut igitur Mens inter tot objecta debet ea eligere, quæ poſſint ducere ocyus ad finem, eorumque totum ante per ideas concipere ordinem; ita oportet, ut Phantaſia receptaculum idearum, earumdemque combinationis, & novæ diſpoſitionis, teneat

neat diſpoſitas, & non confundat ideas; quæ confuſio oriri poteſt, aut ex debilitate fibrarum, & infirmitate, qua facile phantaſia agitur, & in agitatione amittit præconceptum ordinem; aut ex Spirituum vehementi fluxu, quo evenit, ut, cum non ſint faciles ad imperium voluntatis, nou poſſit eas, quas ordo poſcit, excitare ideas, quarum interim ſeries effluit, & pars nonnulla Mentis oculum fugit. Ad Phantaſiam, tenacem concepti ante ordinis, opus eſt, accedat Facultas Locomotiva, quæ internam imaginem per internos ordine motus traducat ad ultimas corporis partes in actiones ideæ proviſæ ſimiles. Opus etiam eſt, ut partes corporis ſua ſoliditate, & humorum æquilibrio, ſeu potius bene compoſita directione eorumdem, ſequantur ſeriem motionum a Locomotiva Facultate procedentium. Partium enim corporis diſſociata ſtructura, vel infirmitas, vel ſpiritus vitio humorum aut ſanguinis non edomiti, vel ægritudine inquieti, poſſunt, quod ſapienter ante conceptum fuit, quod ordine propoſitum, virtute inchoatum, ne perficiatur impedimento eſſe. Talentum uſu, & exercitio perficitur: Uſu enim, & exercitio ſoliditas in corpore, & habitus efformatur. Sicut Sapientia ſexcentas habet ſub ſe, & complectitur definitione ſua ſpecies, (nam ubi poteſt objici finis, & concipi ordine media apta ad eum finem, habituſque efformari, ibi datur Sapientia,) ita Talentum, ſeu facultas recte exprimendi exterius, quod interius conceptum eſt, ad mille extenditur ſpecies: & ſicut quis poteſt eſſe Sapiens in una ſpecie, & non in aliis, (quod tamen raro evenit; quippe in Anima, quæ eſt una, comparato habitu diſponendi media ad finem aſſequendum, & ita ſibi invicem ſubordinandi, ut fines propiores ſint media remotiorum, facile ad alias ſpecies extenditur, & applicatur idem habitus:) ita poteſt in una ſpecie eſſe alicui Talentum, & non in aliis; quod facile accidit ob multiplicem partium, & compoſitionis, ſeu corporis diſſimilitudinem, ac rationem conjunctionis, in quo conſiſtit Talentum. Hinc aperte concipitur, quomodo quis intelligere poſſit, & ſcire Poeticen, quin ſit Poeta: ſcire Picturam, quin Pictor ſit ipſe; callere artem bene Gubernandi, nec bonum eſſe Gubernatorem: ſic de Muſica, & aliis: ſcire poteſt quis Muſicam, & non bene canere. Talentum pendet omnino a corpore, & ab humoribus, qui exercitium facultatis cognoſcitivæ præpediunt, & interturbant. Ita in eo, qui imperat, bilis, vel alius vitiatus humor poteſt phantaſiam, cæteroquin a Sapientia directam, ac coordinatam, perturbare, vel eum reddere impotentem ad compeſcendos animi motus, ut ne ab aliis animadvertantur, neque impedimento ſint, quominus in audiendo, interrogando &c. actionum ſeries, prout res poſtulat, coordinetur. Inſuper ſicut Sapientia in ſe una, tamen ex diverſis ſpeciebus ſumit diverſa nomina Politiæ, Æconomiæ, Architecturæ, Sculpturæ; ita quoque Talentum. Bene obire, & exe-

qui

Digitized by Google

§. 52. Prudentia eſt habitus recte exequendi quæ ſapienter decreta ſunt (1).

§. 53.

qui Negotia dicitur Prudentia; Labores Manuum dicuntur Artes; & hæ quoque dividuntur in ſuas ſpecies. Qui ſcit Poeticen, ſeu concepta carminibus exprimere, vocatur Poeta: qui ſcit imitari, quod obſervat in aliis, dicitur Mimus. Unde perſpicitur Talentum latius patere Prudentia, ut genus ſpecie; licet improprie aliquando omnes facultates Talentum dicantur. Prudentia eſt habitus bene exequendi quæ ſapienter providimus, aut decrevimus: Talentum eſt facultas ore, geſtibus, verbis, aut quacumque ratione exterius effingendi quodcumque ſive ſapienter, ſive inſipienter interius conceptum eſt. Poterit quis bene exprimere actiones, ſumere vultum, & perſonam alterius ſine ulla Prudentia, ac proinde ſine ulla Sapientia, ut Mimus: Poterit quis bene ducere notas litterarum, & ne intelligere quidem quæ ſcribat.

(1) Sicut vera Sapientia eſt illa, quæ ſcit ad propoſitum finem ſeligere media apta, & inter apta aptiora, & rurſus inter hæc, quæ via breviori ducunt ad finem: ita Prudentia cum non ſit aliud, quam perfecta imitatio cogitationum noſtrarum ſapienter diſpoſitarum, vel quædam Sapientia in factis, & dictis; tunc eſt perfecta, & ſervat ſuam eſſentiam, cum inter actiones, facta, dicta, ea deligat, quæ aptius ad finem ducunt: ea vero aptius ducunt, quæ per brevius iter, & cum minima colliſione ducunt. Ita ædis Conſtructor, tunc dicitur Artis Prudens, cum inter propoſitos lapides illos deligit, qui fini reſpondeant, & inter hos, illos quærit jungere, qui ſine multa, magnaque inciſione congruant. Quod ſi quos opus eſt incidere, ut bene referantur ad finem, minori qua poteſt colliſione id facit, ac proinde ſine magna jactura, ſemper vero reſpiciens ad finem: pari ratione de cæteris partibus ædificii. Ita etiam quiſque Prudens inter actiones, facta, dicta, ſeligit ea, iis utitur mediis, quæ ad finem ducunt; adjicit unum alteri, & bene diſtribuit, & ſi media inter ſe natura ſua diffideant, minori qua poteſt diſcordia quærit jungere. Denique ſicut Natura tot ex partibus, & elementis conſtituit Corpus; totque elementa, & partes ita inter ſe adjicit, & contexit, ut unum præſtent; quam elementorum aptiſſimam unionem quid phyſicum, ab illis ſejunctum, ſomniavere Philoſophi quidam; & unionem hanc ſemper præbet per breviores vias: ita Prudens gerere ſe debet in operibus, & actionibus ſuis. Inſuper, quia occaſiones externæ, opiniones, affectus aliorum, queis uti decrevimus tamquam mediis opportunis fini, vires, & alia hujuſmodi ſunt obnoxia mutationibus, opus eſt, ut variare, commutare, differre, occulere conſilia calleamus in tempore; quod ſine longo uſu,

&

§. 53. Ingenium eſt facultas inveniendi ſimilia (1).

§. 54. Genius eſt naturalis illa facilitas inveniendi in omnibus ideas in interno, media in externo, fini convenientia (2).

§. 55.

& experientia, vel magna cultura, & multa rerum animadverſione quæ ſupplet ex parte defectum propriæ experientiæ, obtineri non poteſt: & ideo Prudentia, ut ſit perfecta, præter naturale Talentum, quod pendet a ſtructura phantaſiæ, ſeu corporis, & humorum compoſitione, fulciri debet, & excoli experientia, & uſu, quod commune eſt, cæteris Talenti partibus.

(1) Ergo Ingenium prodeſt valde ad Prudentiam, ut in defectu aliorum mediorum alia ſubito media ſupponantur. Ne vero ſim longus in hujuſmodi rebus, quæ proprie pertinent ad Pſychologiam, omiſſo unde oriatur, dico ſolum, Ingenium plerumque officere aciei Mentis, imo natura ſua opponi Profunditati. Nam cum res ut plurimum inter ſe diſſimiles ſint, (ne in illa me implicem quæſtione, utrum dari poſſint duo omnino ſimilia, non modo in toto, verum etiam in partibus;) qui facultatem, ſeu facilitatem ſimilia concipiendi habet, non eas inter ſe diſcernere indicat. Diſtinguere res, & unum ab altero ſecernere, diſſimilitudinem earum diſpicere, oritur ex Acumine; & ideo Ingenium, ſeu facilitas inveniendi ſimilia opponitur Acumini. Itaque Scurræ, non ita de Argutis, quibus hæc ineſt facilitas unum cum altero confundendi, movent riſum ob abſurda, quæ eorum dicta involvunt, nec ſere Acumine præditi, minuſque apti ad Scientias.

(2) Facultas quæque, præſertim Superior, ut excolatur, requirit multum laborem: multo magis, ut excolantur omnes, uſquedum aſcendamus ad Deum in Analyſi, & deſcendamus in externas, perfectaſque actiones præferentes in ſpecie aliquod Attributum Divinum in Syntheſi. Unde ſicut intuentis quomodo teneamur ad has facultates excolendas, & qua ratione excolantur, non modica eſt voluptas; ita cum ad praxim deſcendimus, non minus tædii occurrit. Ut habeatur idea Dei non vera, non adſcititia, & quæ non ſit, niſi in Phantaſia, neceſſe eſt omnes potentiæ mentis ſuum ponant ſtudium ſucceſſivo ordine a Natura præſcripto, & nulla negligentiæ mora detineantur; quod in majori hominum numero, quorum præſertim mentibus nulla accedit cultura, videtur impoſſibile. Quam ob rem ex iis, quæ hactenus expoſuimus, colligitur, teneri unumquemque non modo ad perdiſcendam Logicam; ſed & Metaphyſicam, & omnes ejuſdem partes, nempe Ontologiam, Coſmologiam, Pſychologiam, ipſamque etiam Philoſophiam Practicam. Vana hominum ſtudia! Cuique ſuus inditus Genius; a quo excitata

ra.

ratione, ſi parum addatur culturæ, facile quivis ſummus fiet in ea ſpecie rerum, ad quam Genio fertur. Nec modo hominibus datus Genius; ſed & Brutis, & rebus ſenſu carentibus, telluri, regionibus &c. Genius eſt intrinſeca illa tendentia, quam operativa vis, in rebus inſidens, habet erga aliquam ſpeciem rerum; virtute cujus facultates operativæ facile in unum junguntur ſine interruptione, ſine violentia ad aſſequendum objectum illud ſpecie determinatum; aut ſi ſint res inſenſibiles, omnes Corporis partes, quæ ſunt potentiarum loco, ſine diſſenſu, ſine diverſa tendentia ad unum feruntur. Tellus quæcumque ſine cultu non dat fructus maturos. Si adſit, adfert facile aliquam fructuum ſpeciem, & abunde, & gratam; Aliam vero ſpeciem ægre dabit, & ſemper in aliquo imperfectam. Arbor eadem in loco, cujus Genio congruat, creſcet brevi vel ſupra modum, & edet fructus abunde; alio in loco, quamvis geminetur cultura, & laboret cultor, nec creſcet ad juſtam celſitudinem, nec fructum quantitate, & qualitate avari reſpondebit votis agricolæ. Habent ſuum Bruta animalia Genium, habent Homines. Objectum quodcumque cum ſit ab alio diverſum, habet diverſum finem: ſi finem diverſum, etiam diverſam Naturam: ſi diverſam Naturam, diverſa in eo reſidet Virtus, a qua moveantur, & ordinentur facultates, quæ media ſunt ad aſſequendum peculiarem finem. Quapropter inter Naturam, & Facultates, & Finem eſt quædam naturalis unio: Si Unio, Facilitas agendi: ſi Facilitas agendi, Facilitas aſſequendi finem. Hæc eſt illa Virtus, hic ille Genius, ex quo res quæcumque ſponte, & ſine ſudore dabat fructum ſuum tunc, cum non dominabatur, nec deliteſcebat in rebus diſſenſus ullus, & contradictio ex maledicto proveniens. Homo quiſque, integra ſi foret Natura, naſceretur erecta ratione, & Deum agnoſceret nullis laboribus educationis: quælibet enim facultas cognoſcitiva ſuo fungeretur munere, non interrupto ordine a Natura præſcripto: quodque brutum ſine feritate præberet pro ſua ſpecie ſuum homini auxilium: omnia elementa ſine malignitate influxus darent humoribus motum ſuum. Nunc labor culturæ removendo quæ obſtant, & contradictionem in parte ſaltem, non debet aliud agere, quam excitare ſaltem ex parte priſcam in natura virtutem, priſcum Genium. Per Genium ergo ope culturæ excitatum prodit ſe naturalis Vocatio in homine, naturalis Virtus in brutis ad finem determinatum. Hunc ſi ſequerentur homines in ſua ſpecie, quiſque fieret Magnus: ſi juxta hunc dirigerentur juvenes, non tantum laborem inſumerent iis inſtruendis Cuſtodes, & Magiſtri; nec ipſi tanto tædio tardarentur in addiſcendis diſciplinis, & implendis iis, quæ ipſis jubentur. Hinc mirum non videbitur, ſi Philoſophi veteres non omnes temere, ut nunc omnimode cogimur, patiebantur ad ſuas accedere diſciplinas, ſed poſt plurimam, & longam Genii inquiſitionem, paucos illos,

Digitized by Google

los, in quibus aliqua ſpes eluceſceret, ad præcepta philoſophica addiſcenda admittebant.

Omnes ad Dei cognitionem dirigimur: ſed alia alius ratione. Deus infinitus eſt; ipſumque comprehendere nefas. Infinita ſunt Dei attributa, & perfectiones; ipſaſque exprimere opere, & actionibus ſuis nedum ſingulis, ſed & omnibus creaturis ſimul impoſſibile eſt. Genere quidem creaturæ omnes eodem continentur fine; ſpecie vero, vel ſaltem individuali diſcrimine omnes inter ſe diſcrepant. Hinc ſequitur, quod, etſi omnes ad Dei cognitionem natura dirigamur, pro diverſa natura, & Genio; diverſa tamen ratione ad aſſequendam ejus cognitionem in ſpecie tendimus; ſicut e contra in ſyntheſi operibus noſtris diverſa Dei attributa Genio ipſo exprimere datum: & ratio eſt, quia diverſæ ſunt naturæ hominum; hinc diverſi Genii: diverſi ergo eſſe debent hominum fines, & mores; ex diverſitate morum diverſum Dei attributum exprimitur: Finis in genere idem omnium, nempe Deus; in ſpecie diverſus, nempe a diverſis attributis, vel ſaltem in individuo a diverſa ratione cognoſcendi, & exprimendi idem attributum. Hanc naturæ legem, hanc Genii indolem ſi ſequerentur homines, ſicuti perfectionem artium, vel ſcientiarum aſſequeretur quiſque, ſic & perfectionem moralem, & cum perfectione morali perfectio totius Mundi haberetur, quæ ex conſenſu in varietate reſultat. Hic vitæ ſtatus Paradiſi terreſtris felicitatem conſtituebat. Hoc vitæ genus floruiſſe aurea Mundi ætate cecinere Poetæ. Triplici autem ex cauſa hujus beatæ vitæ jacturam patiuntur homines; ex defectu ſcientiæ: ignoratur enim communiter cujuſque nedum hominis, ſed & bruti, & cujuſque plagæ telluris natura, & Genius; unde præpoſtere his abutimur: ſecundo ex inordinato appetitu, & paſſionum violentia; quo fit, ut non Naturam quiſque ſequatur, & Genium, quæ ſine vi excitari, & excoli non poteſt, prout nunc fert temporis ratio, ſed ipſum appetitum, & inordinatam phantaſiæ legem: tertio ex immiſſione, ſeu potius introductione Malignorum Geniorum, qui longe, lateque infeſtabant populos, & Nationes, imo & arbores, & terrarum plagas ante Chriſti adventum, & nunc etiam, ex ſententia D. Thomæ, ſi non omnes, certe plurimi habitant in hoc aere tenebricoſo. Legeſis Platonem, & Jamblicum, ſi ratione hæc omnia aſſequi cupis, quæ ad Geniorum Malorum naturam ſpectant: legeſis Paulum & Auguſtinum, ſi auctoritate fulciri deſideras, & quæ habent adverſum *Rectores tenebrarum harum*, ubi profecto non de ſenſibili Dæmoniorum actione differunt, quam communiter invaſionem, & obſeſſionem vocant.

Etiam ad ſupernaturalem felicitatem aſſequendam datus cuique ſuus Genius, quem Vocationem Supernaturalem appellant, quæ ex diverſa effuſione ejuſdem indiviſi Spiritus oritur. Hinc datur alteri donum

§. 55. Quodcumque Syntheticis facultatibus perficitur, opus appellatur: quod Analyticis Facultatibus, Scientia (1).

§. 56.

num Scientiæ, alteri Prophetiæ in eodem Spiritu, alteri Miraculorum, &c. quem qui ſequitur, erit in ſanctitate magnus: Gratia Vocationis Supernaturalis accommodari plerumque ſolet Vocationi Naturæ, eique vires, & facilitatem ad opus tribuit: eadem enim eſt Vocatio Creatoris, quæ Sanctificatoris. Chriſtus non venit ad evertendum opus ſui Patris, nec ad ſuam faciendam voluntatem; ſed ad implendam voluntatem ejus, qui miſit illum, ad ejus perficienda conſilia, ad ejus opus, ut erat ab initio, reſtaurandum. Gratia non deſtruit, ſed perficit Naturam; deſtruit Naturæ paſſiones, & præpoſteram earumdem legem: ſimulat primogenitum patris ſacrificare velle; ſed revera comburit ejus loco arietem, ſcilicet cornua ſuperbiæ noſtræ, vellus diverſarum cupiditatum, quibus inter ſpinas divitiarum implicamur, corpus ipſum concupiſcentiæ, cujus ſtimulis quotidie a recto abducimur, & quæ degenerem reddit naturam hominis.

Tandem, ut Genii doctrina æquivocatione careat, diſcernendus Genius ab affectu, naturalis inclinatio a paſſione. Illa oritur ab interno, hæc in externo habet ſuum principium: illa eſt ingenita, hæc ſenſim educatione, ſenſibilium obſervatione, & præpoſteris comparatur operibus: Genius generatione ſæpius traducitur, eluceſcit in fortuitis: expergiſcitur ad ſimilitudinis intuitum, ni paſſionibus, & circumſtantiarum anguſtiis præpediatur, obſervatur ænigmatum propoſitione, ſentitur a conſcientia pura.

(1) Anima cum incipit ſolvere compoſitionem, quia, nititur auferre ſicuti ſibi, ſic ab objecto confuſionem in ideis rerum; incipit conſequenter cognoſcere, ideoque ſcire rem; & quo magis evolvit ideas, eo magis anima accedit ad earum naturam cognoſcendam. Verum quidem, quod numquam ſcit vere rem, nec veram habet ejuſmodi ſcientiam, niſi perveniat ad mentem, ubi vera ratio rerum latet, & obſervatur, ut ſupra diximus, ubi de mente egimus; nihilominus putant quidam Philoſophi recentiores, & quidem graves, quod ſicut per attentionem, facultatum analyticarum primam, ingreditur homo in ſcientiam, ita ſcientiæ eſſentia ſita ſit in rerum cognitione diſtincta, quæ per Analyſim obtinetur, & elevationes, graduſque profunditatis non eſſe, niſi ſublimiores, ulterioreſque progreſſus in ſcientia. Si mihi autem licet eloqui, quæ ſentio, anima quamdiu in rebus compoſitionem videt, & multiplicitatem, opinor nondum aſſequi

 natu-

naturam, & Eſſe rerum, quod dividi, & ſolvi ultra nequit. Cæterum fateor notionem rerum claram Carteſianorum, diſtinctionem Wolfianorum eſſe terminum, metamque cognitionis, ad quam pertingimus omnes fere, qui ſcientiæ rerum ſtudemus; & propterea hæc appellanda potius ſcientia, ad quam Philoſophi, & ſcientiarum ſtudioſi noſtri communiter ævi ſolent pervenire: non ideo tamen hæc dicenda natura ſcientiæ: non enim eſt ſcire illud, quod ab hominibus expetit natura, ſed tantum medium; & ſubſiſtere in notione diſtincta rerum idem eſt, ac deficere in via. Non debet eſſe quid diverſum ſcire, & cognoſcere verum principium rerum; non debet eſſe quid diverſum ſcire, & cognoſcere objectum propriæ felicitatis, ſenſu ſaltem, ſi non cognitione, & intuitu. Ad hoc data eſt homini analytica cognitio; & hujus analyticæ facultatis ulteriores, penitioreſque greſſus, & potentiæ nullius eſſent uſus, & propterea fruſtra omnibus hominibus impertiretur natura, ſi in cognitione tantum diſtincta rerum deberent morari, ac ſubſiſtere: nec jure dici poſſet natus homo ad cognoſcendum in omnibus Deum, ſuæ felicitatis metam, unde regulas eum aſſequendi, & bene, ac recte vivendi leges deduceret. Cæterum, cum id mihi ſit propoſitum, effugere ſemper quæſtiones nominum, naturam tantum rerum oculis ſubjeciſſe ſatis ducens, ideo ſtatui in Propoſitione, quod, quæcumque cognitio habetur per facultates analyticas, dicitur ſcientia magis, aut minus perfecta, prout magis, aut minus ſolvitur notio per Analyſim. Itaque a nemine diffidens facile aſſentior, quod ſcientia ſit Carteſianis notio clara, Wolfianis diſtincta, ſeparatio animæ a corpore Platonicis &c.

E contra vero quodcumque perficitur Syntheticis facultatibus, opus appellatur. Opus vere dicitur quodcumque componitur, & veluti per additiones conſtruitur; & quia compoſitio oritur ex ſyntheticis facultatibus, & actiones ſyntheticarum facultatum debent eſſe compoſitæ, merito quodcumque ex facultatibus ſyntheticis procedit, Opus vocatur. Vera autem, & perfecta compoſitio illa eſt, quæ a mente mota uſque ad extimas facultates egreditur, deſcenditque, & ſic conſpicienda cæterorum oculis, vel ſenſibus exhibetur. Itaque opera illa, ſive egreſſus facultatum ſyntheticarum, quæ non in exteriora procedunt, & ad ultimas facultates noſtras ſyntheticas non egrediuntur, & ſic cæteris cognoſcenda proferuntur, ſunt imperfecta; & tantum imperfectionis continent, quot diſtant gradibus ab hoc, ut concreta fiant, & ad aliorum efferantur intuitum. Hinc eſt, quod opus quodcumque, ut ſit perfectum, gignendum eſt a mente; a mente ejus debet emanare motio, ac principium; ideoque in ſua gradatim compoſitione ſemper debet quid claudere, quid ſovere divinum: & quia nequit Deus totus hominibus exhiberi, ſed ſolum ejus aliqua perfectio, vel aliquod attributum, creaturarum tenebris, & nihilo Eſſentiæ obumbratum; illud eſt opus perfectum, opus rationis

§. 56. Habitus determinandi actum, ſeu exiſtentiam operis alicujus perdifficilem dicitur Ars (1).

§. 57.

nis in homine, in quo proditur aliquod attributum, quod in omni opere & eſt, & debet eſſe veluti anima. Defectum rationis ſupplet Deus in plantis, in lapidibus, in ſtellis, in ipſis etiam male agentibus: opera, quibus non hæc ſubeſt anima reſpectu agentis, opera, quæ ſunt nudæ, & vanæ delineationes, & a phantaſia ſolum agnoſcunt originem, nimirum a rebus aliunde compoſitis, non Opera ſunt dicenda, ſed operum ſimulacra, inanes fœtus vanitatum phantaſticarum. Syntheſis natura ſua tendit ad Deum aliis aperiendum; Analyſis ſibi ipſi. Hinc veteres Poetæ, qui in rerum Naturam ope Philoſophiæ ingreſſi fuerant, petitis a phantaſia imaginibus, atque umbris verum aliquod in ſuis carminibus exhibebant. Ita Virgilius in longis pii Æneæ erroribus antequam in Latium deferretur, ſedes ubi fata quietas promittebant, indicat varios caſus, & prælia, quæ debet homo inter vitæ hujus diſcrimina ſuſtinere modo ab aggreſſibus luxuriæ, ſicut ille cum a Didonis amoribus eſt detentus; modo a fero genere Harpiarum &c., & id poſt affractum Priami Regis vetus Regnum; nam Priami dum Regna ſtarent, & ſtaret Ilium, erroribus non fuit obnoxius,

Et dum adhuc ſumat humo Neptunia Troja.

Ita Dantes Aligherius, qui ſuum Ducem & Magiſtrum profitetur eſſe Virgilium. Ita Græci Poetæ, quorum in carminibus eluceſcunt abſtruſiora placita Philoſophorum de divinis diſſerentium, & ipſum vivere nos in Deo, moveri, & eſſe, ut illud Arati: Ipſius & genus ſumus: quos citat Paulus in Actibus Apoſtolorum, & ſuæ ſententiæ veluti teſtes adducit. Veri Poetæ, non qui, quas in aliis rerum effigies, & ſimulacra perlegerunt, exſangui quodam ſcribendi genere enarrant, cum potius canere debuiſſent; at qui alicujus ad ſummum paſſionis incitamento interius commoventur; & ſenſere, & ſentiunt in ſe ipſis ab Jove principium eſſe, impulſionemque operum, carminumque ſuorum eſſe Deum:

Eſt Deus in nobis; agitante caleſcimus illo.
Sedibus æthereis ſpiritus ille venit.

(1) Non ad quodlibet edendum opus Ars requiritur; ſed tunc dicitur Ars ſupervenire, cum operis eductio eſt difficilis. Itaque omnis ars eſt facultas edendi opera, quibus obſtat aliqua difficultas. Facultas hæc determinandi actum operis alicujus perdifficilem pertinet ad faculta-

tes

§. 57. Cum gloriam Dei promovere teneamur ex prima Parte; quin facultates ſyntheticas excolere teneamur, nemini dubium (1).

CA-

tes Syntheticas; quia quodcumque pertinet ad concretum, Syntheſis appellatur. Ars quæque ſuâ natura liberalis eſt; quia e facultatibus Mentis oritur; opus natura perdifficile ad exitum perducere; & omne, quod pertinet ad potentias Mentis, ad hominem pertinet, ſive ad liberum. Hæc artium Liberalium, ac Servilium denominatio ſumpta, ut arbitror, a Romanis, apud quos Homo, ac liber idem erat; ſicuti ſervus, ac brutum idem. Nam apud eos, qui erant vere ſervi, non tanquam homines, ſed tanquam bruta habebantur, ablato ipſis, civili lege, omni humanitatis jure. Ideo Ars Liberalis vocatur facultas opere perficiendi, quæ a Mente, ſive a Syntheticis facultatibus proficiſcuntur, quod idem eſt, ac ab homine; licet aliquis ſubinde ſenſus ad exiſtentiam, ut ſaltem compleatur, accedere debeat. Ita Ars Oratoria, Ars Poetica, Architectura &c., ipſa etiam Pictura, Sculptura, & cæteræ omnes artes, quæ ab initio Liberales fuere, Serviles deinde fiunt, cum ratio, qua dirigitur opus, etſi initio difficilis, uſu frequenti venit in tantam facilitatem, ut rei executio magis opere manuum, & exteriorum ſenſuum compleatur; & magis dicuntur, aut minus Serviles, quo major, aut minor eſt mentis fatigatio, quo magis, aut minus adhibentur ſenſus, hoc eſt partes communes cum brutis; unde Servilis Ars appellatur. Hinc definire gradus, in quibus opus fit ſervile, quoniam longum eſſet, & mille requireret graduum minutiſſimas obſervationes, ne tædio ſim, & nimis dare Metaphyſicæ videar, prætermitto. Sit ſatis, quod in genere diximus. Vocatur ergo Ars Servilis, cum labor, & difficultas perficiendi operis, aut omnino, aut magna ex parte pendet a membris corporis, & locomotiva facultate communi cum brutis, ſeu, ut ſupra diximus, cum ſervis; Liberalis, cum magis eſt facultatibus, & mentis agitatione laborandum. Hinc Ars Oratoria, Poetica &c. ſemper retinent nomen Liberalium Artium, quia ſemper in his potior difficultas eſt in vexatione mentis. Ad opus perducere, quod Architectus animo delineavit, eſt Ars Servilis; quia difficultas magna ex parte eſt in opere phyſico, & labore manuum. Quævis Ars ab initio potius Liberalis vocanda; quia difficultas edendi operis, ut plurimum, a Mente procedit, etſi poſtea ceſſante, ablataque uſu Mentis difficultate, tranſit in ſervilem. Hæc in ſenſu pſychologico diſſeruimus. Diverſa tamen ratione de operibus die feſto peragendis differendum ſuo loco.

(1) Tenemur omnes promovere gloriam divinam, ſicut omnes ad Deum cognoſcendum nati ſumus. Ad hoc aſſequendum facultates, aut potentias

tias

Digitized by Google

tiās Analyticas Natura miniſtrat ; ad illud obtinendum , implendumque facultates Syntheticas : ſicut homo , ſi in cognitione rerum non devenit ad Deum , ſine uſu linquit , aut deſides aliquas facultates , & defraudat ideo ſuam ipſius naturam , & propterea quicumque is ſit ex §. 40. part. 2. reus ſit violatæ naturæ ; ita quilibet homo , ſi , dum agit , non exhibet aliquid aliis divinum , neceſſe eſt negligat etiam , & deſides linquat aliquas facultates Syntheticas . Actio quæcumque ex eo ſumere debet initium , ubi deſiit , & habuit finem Analyſis . Ita ab intimo Dei impulſu deſcendendum ad Mentem , a Mente ad Sapientiam , quæ educit , quod profunde concepimus ; a Sapientia ad Prudentiam , quæ bene nectit , & componit , quod Analyſi ſolvimus : Ars occurrit illi difficultati , quam in actionibus ita educendis Attentio , vel Judicium obſervavit , ut opus producat prout a Natura , vel ab aliis effectum eſt . Ergo ad ſenſus externos ideæ a Deo motæ , a Sapientia delineatæ , per Prudentiam concretæ , Arte confectæ , & diſcretæ ab omni alia re , deducendæ ſunt eadem via , qua ope Apprehenſionis objecta ſenſibilia , vel eorumdem ideæ diſcretæ a circumſtantibus , aſcendunt ut ab anima conſpiciantur , donec ipſa ope facultatis Locomotivæ foras educat , & oculis intuentium conſpicienda præbeat : ſicque ideæ materiales rerum , & ſenſationes communes ſunt tum Syntheticis , tum Analyticis facultatibus . Senſationes rerum externarum per gradus quoſdam nobis ideam Dei ingerunt ope Analyticarum facultatum : opus vero noſtrum , quod a mente initium ſumit , & per gradus quoſdam ad ſenſus deſcendit , ope Syntheticarum facultatum ſenſibile redditur , & ſua in aliorum impreſſione Dei ideam , vel aliquod ejuſdem attributum ſuggerit aliis , ſi facultatibus Analyticis bene utantur . Sic habetur commune commodum , commune auxilium , ad eamdem felicitatem aſſequendam . In hoc vero differunt , ab Analyticis Syntheticæ facultates , quod Analyticas , nimirum attentionem , Analyſim &c. oportet adhiberi omnes ad cognoſcendum Deum , licet alia , atque alia ratione . Hic e cultura agri , ad Dei cognitionem fertur , cum videat non ſe eſſe , ex quo ſurgunt , & creſcunt ſegetes , atque arbores ; ſed a Deo , qui incrementum dat , licet ipſe agrum & excolat , & riget : *neque enim qui plantat eſt aliquid ; neque qui rigat , ſed qui incrementum dat Deus* , ille ductu , & ope ſcientiæ cum intelligit nec compoſitionem , nec finitos limitibus ſimplices poſſe corporum eſſe verum principium : neque enim ex his , neque ex illa poteſt origo vera , & prima , poſt accuratam rerum animadverſionem derivari ; ſed ab Ente vero , ac ſimpliciſſimo , quod unum poteſt eſſe ; cauſa vera , & vera , & prima ratio rerum omnium , alia via alius : alter ex amænitate florum , ex deliciis ruris alter : eſt enim naturaliter verum , juxta doctrinas Theologiæ Naturalis , a re quacumque , etiam minima , educi poſſe ad regulas rectæ rationis ideam Dei . *A magnitudine enim ſpeciei poterit Creator horum videri , ſempiterna quoque virtus ejus* ,

Digitized by Google

ejus, & divinitas ita ut ſint inexcuſabiles &c. . Et ideo a ſenſationibus progredi debemus ad mentem.

In ſyntheticis vero facultatibus, licet a mente, ut recte agamus, uſque ad ſenſum debeat deſcendere actio, non tamen neceſſe eſt, ut ſenſus omnes adhibeantur. Nam licet ſemper Prudentiæ, Arti &c. concurrere debeant Mens, & Sapientia, (non eodem ſemper in gradu, ſed quo unicuique par eſt operi;) non tamen opus eſt ad hoc, ut actio compleatur, ut concurrant omnes ſenſus; ſed ſatis ut per unum illorum, aut plures Dei gloria proferatur, & perfectio noſtri operis. Ut aliorum ſenſibus pateat aliqua noſtra actio, non opus eſt, ut per omnes noſtros ſenſus egrediatur; ſed ſufficit unus, aut plures, juxta operis naturam, ad quod ab intimo noſtro, ſeu a Mente nos movet Deus. Deus debet ad opera, & artes movere Mentem, ſeu ſerviles, ſeu liberales ſint: Genius aperire, & ſternere viam in ea rerum ſpecie, ad quam natura vocati ſumus. Varietas ſenſuum, præter legitimum eorum uſum, ut diverſis rationibus diverſas Dei ideas, excipiamus, & cum diverſitate idearum, diverſa attributa, quod attinet ad actiones, & opera, dat ampliorem nobis agendi facultatem, ut plura Dei attributa oſtendere valeamus; & ad majus meritum nobis auget Libertatem, ſi eo digna eſt nomine, quam dicunt contradictionis. Poſſumus enim relicto Genio, ac naturali vocatione ſenſibus ad noſtram uti libidinem. Unde non parum, vitio inclinationum noſtrarum, deflectimus, atque offendimus. Igitur licet neceſſarium ſit & unumquemque, & ſemper agere ad gloriam Dei patefaciendam, juxta illud: *omnia ad gloriam Dei facite*; non unicuique opus eſt, ut eam proferat per omnes ſenſus, & multo minus per ſingulas illorum partes. Hinc non neceſſarium cuique, ut gloriam Dei promoveat per generationem; ſed illi ſolum, quem Dei motio, verus naturæ Genius, hoc eſt naturalis vocatio, non libidinis voluptas, ad id impellit. Sed res hujuſmodi non ſunt obiter innuendæ: opportunius, & fuſius de hoc agemus poſtea in eos, qui aſſerunt pugnare Naturæ vitam cælibem. Oporteret Sapientes hujuſmodi, in naturæ ſcrutandæ legibus vere nimis profundos, ſtatuiſſent antea, eſſe contra jus naturæ, ſi quiſque hominum non exerceat omnes artes; ſi non in carminibus, non in orationibus recitandis verſetur, aut rus non excolat, vel ad rempublicam gerendam non accedat. Natura non jubet unumquemque omnes exercere artes aut ſerviles, aut liberales ad manifeſtandam Dei gloriam, ſed illud tantummodo ad quod divina dirigit motio, cui comes it Genius. Quomodo ergo dicendum ab Natura impelli unumquemque noſtrum ad uxorem ducendam, ut ita gloria augeatur divina? Nolim hi ſeduli naturæ ſcrutatores motionem Dei neceſſariam in omni opere juxta legem naturæ, cum ſenſus, & creaturarum incitamentis confundant; naturalem genium cum paſſione. Quod ſi tenemur augere generatione hominum multitudinem, ut agnoſcentium Deum

Digitized by Google

CAPUT III.

De Cultu Voluntatis.

§. 58. VOluntas, ex §. 3. Prolegomeni, eſt Principium liberum, quod prævia cognitione operatur. *Si* prævia ratione, ſeu intellectu operatur, dicitur Voluntas rationalis, ſeu hominis.

§. 59. Si prævio ſenſu, vel Phantaſia, dicitur Voluntas Animalis.

§. 60. Homo igitur, ſi ſibi conſtare velit, Rationem, ſeu Intellectum ſemper ſequi debet (1).

S §.61.

Deum major ſit numerus, qui verus, & unus generationis finis eſt: cum his noſtris temporibus tam longe, lateque ſit fuſa multitudo hominum, quorum tamen innumeri verum Deum non agnoſcunt; cum tot ſint, tantæque Gentes, quæ a rectis naturæ itineribus deflexerint; qui augendæ, & proferendæ Dei gloriæ ſtimulis agi ſentit, poteſt id nunc optime efficere, ac conſequi, quin immiſceat, atque mergat naturam humanam in carnis immunditiam, & ſenſus adhibeat, medium humile nimis, & imperfectum, ad finem adeo nobilem conſequendum: poteſt, inquam, his temporibus haberi nobilitas finis, quin in medii imperfectionem incidatur. Ne, quæſo, accuratus rerum inveſtigator naturæ leges cum paſſionum legibus turpiter confundat.

(1) Ens ſimplex, natura ſua vivum, ſicut prævia cognitione non eget, ut agat; ita neque, ut liberum ſit, ſeu ſponte agat, ipſa indiget, ut in Prolegomeno innuimus, & in Pſychologia ſuo loco demonſtravimus: ſolum eget cognitione, ut bene agat, vel male: & hoc non abſolute, ſed hypothetice, ut ajunt Philoſophi; nimirum ſi principium agendi ſit limitibus definitum; tunc enim poſſet elicere actionem magis, aut minus perfectam, ſeu quæ magis, aut minus ſibi conſonet, magis, aut minus ſeipſam perficiat. Sic homo poteſt deſcendere ad inferiorem partem, & ſenſibilia, ſicut ad inſenſibilia, & ſuperiorem partem aſcendere. Si vero ſit infinitum, & limites non admittat, ſemper ejus actio eſt natura perfectiſſima, quia infinita, nec in ſe ipſa magis, aut minus recipere poteſt, utpote actio Entis infiniti. Hinc Deus ut agat perfecte, non eget prævia cognitione: nec enim cogitare debet quomodo,

aut

Digitized by Google

aut quid loquatur, vel operetur; quippe opus non habet, ut ſua opera inſpiciat antequam agat. Cognitione prævia opus eſt, cum natura quid imperfectum agere poteſt. Eget autem Deus Sapientia, ſeu infinita cognitione, nam hoc ſenſu in Deo accipitur Sapientia, quæ complectatur & comprehendat omnia, pertingens a fine uſque ad finem, non ut ſit perfectum, quod agit; ſed ut in ejuſdem intuitu delectetur. Hinc ſæpe dicitur: *omnia in ſapientia feciſti*, nimirum dum operatur cognoſcit: imo dicitur in Scripturis Sacris Pater generare Verbum, hoc eſt Sapientiam, non Sapientia generare Patrem, hoc eſt primum Principium agendi; licet tempore, ſeu duratione Sapientia, nimirum Filius, Patri coexiſtat. E contra creatura, circumdata limitibus, & obvoluta, poteſt magis, aut minus agere, nimirum per participationem Supremæ, & Primæ Potentiæ poteſt in majori, aut minori extenſione ſuam actionem exercere; poteſt majorem, vel minorem perfectionem, poteſt bonum, vel malum, acceſſum nimirum, vel receſſum a Deo operari. Hinc, ut recte operetur, eget cognitione prævia, ut in ipſa, veluti in imagine, perlegat quodnam ſit malum, quodnam bonum, quodnam perfectum, ut, vi libertatis ingenitæ, illis conformes, prout libeat, actiones exhibeat,

Cum igitur homo habeat duo genera cognitionis, alteram ſenſus, alteram rationis, ſive intellectus; facultas libere agendi poteſt actiones ſuas ad ea, quæ objicit ſenſus, ad quæ monet ratio, ſive intellectus, conformare: hanc ſi ſequitur, agit ut homo; illam, ut brutum. Hic vero in mentem revocanda ſunt, quæ ſupra diximus de Cultu Mentis, ut diſtincte procedatur, & ſanæ morum regulæ dilucide deriventur. Omne quod eſt confuſum, ſenſus eſt, & e ſenſu oritur, atque ex inferiori, ſeu animali parte. Cognitio hominis non ſolum eſt confuſa in ſenſatione, ſed etiam in apprehenſione, in attentione, in analyſi: ipſa etiam profunditas in ſuo ſummo gradu non eſt prorſus omni compoſitione ſoluta, quia creaturas, compoſitionem nimirum habet objectam oculis. Verum quidem eſt, quod cognitio minus habeat confuſionis in apprehenſione, quam in ſenſu, minus in attentione, quam in apprehenſione &c. ſed quia ſemper habet præ oculis creaturas, uſque dum non devenit ad veram rerum rationem, quæ eſt Deus, ſemper habet aliquam cum ſenſu, & cum viliori parte communicationem; ideoque quod dat motum actioni, ſemper erit creatura, confuſio, ſenſatio, vel quod a ſenſatione progignitur. Hinc actio ſemper quidem brutalis, magis autem, aut minus erit a bruto recedens, prout magis, aut minus per cultum Phantaſiæ ab inerti materia, & ſenſibilitate removebitur. Si ſequatur tantum ſenſationem, erit ſimilior brutis in hac ſpecie imperfectiſſimis, & eorumdem actionibus: ſi ſequatur, quod per attentionem objicitur, minus obruteſcit, quam ſi, quod per apprehenſionem: ita per gradus de analyſi, de profunditate. Et propterea, ſicut ſupra diximus, ſi homo non egre-

dia-

Digitized by Google

§. 61. Tenetur voluntas habitum acquirere tendendi ad Deum.

D. Nihil tam homini intrinſecum, quam tendere ad Deum ex §. 14 primæ partis; facultates naturales eodem determinantur fine, quo natura ipſa, cui inſunt ex §. 15 primæ partis; Ergo voluntas debet tendere ad Deum. Ex frequentatis actibus fit habitus, ex regulis Logicæ. Ergo voluntas debet acquirere habitum tendendi ad Deum (1).

S 2 §. 62.

diatur e limitibus, & integumento Phantaſiæ, & e domicilio materialium idearum, ſemper erit cognitio ejus, ut bruti; ſemper res cognoſcet tanquam brutum magis, aut minus excultum, aut perfectum, prout magis, aut minus erit exculta Phantaſia. Eadem ratione voluntas ſemper erit magis, aut minus, ut bruti. Quod ſi ipſa perſentit, & ante oculos habet Deum, medio intellectu, ac ratione, duce, ac magiſtra libertatis humanæ; ſi Deus ipſe per actionem, & impulſionem, ſuo veluti motu, (eam etiamſi non appercipiatur, quod opus quidem non eſt,) dirigit, juxta ſuperius dicta, ubi de Mente egimus, tunc voluntas proprie dici poterit agere cum ratione, agere cum intellectu, agere ut par eſt, & decet hominem. Non ſecernitur vulgo agere cum ratione, & agere cum cognitione Phantaſiæ diſtincta; actio Intellectus, & actio ſenſus cultioris. Non nego equidem hominis actionem non poſſe, nec debere eſſe ſimplicem; quia, cum conſtet ex anima, & corpore, debent ambo in opus concurrere. Oritur tamen ex dictis, quod Anima cum ſit nobilior corpore, Intellectus Phantaſia, voluntas hominis voluntate bruti; debet ante voluntas excipere motum e ſimplici, nempe Deo; debet primum exurgere, & præcedere intellectus, ac vera ratio rerum, & hinc per gradus in alias deſcendere, & promanare potentias, donec cor, cumulus harum omnium facultatum, & ideo centrum totius corporis, ſit veluti inundatum, informatum, impulſum, ita ut actio ſenſibilis fiat, & Animæ communis, ac corpori. Quod ſi e ſenſibilibus rebus ſumeret ortum, ac motum actio, præcederet corpus animam, ſenſus rationem, & materia imperaret ſpiritui, inferior ſuperiori; quod prorſus abhorret ab omni lege naturæ. Hinc clare patet, quam ſint raræ etiam in cultioribus, & qui habentur ſapientes, actiones hominis, quorum omnis ſapientia non quidem in mentis & intellectus cultura poſita ſit, ſed in majori cultu Phantaſiæ, & actionibus minus merſis in ſenſu, & petitis a cultiori Phantaſia rationibus.

(1) Omnis humana natura non habet alium finem, quam felicitatem, quam unice in Deo poſitam eſſe ſatis demonſtravimus. Itaque voluntas prin-

§. 62. Voluntas hominis debet acquirere habitum bona corporis propter bonum mentis, bona mentis, propter Religionem determinandi (1).

D. Vo-

princeps hominis facultas, cujus imperio reguntur omnes actiones hominis, ſicuti ſemper eo ſe debet dirigere, ut impleat opere conſilia naturæ, a qua vitam, motumque recipit: ita omnes alias facultates conferre debet ad hunc finem, & perducere ad exitum, & hoc unicum, vehemenſque naturæ deſiderium explere. Quæ ne in medio deficiant, & eam deſerant, debet eis tantum dare quietis, & alimenti, quantum ad finem conducat. Et cum agendi facultas ſit de ſe cæca, neceſſe eſt ducem ſequatur, ac rectorem, ſed qui ſit hominis proprius, nempe rationem, non ſerſum, quo proprie bruta ducuntur. A ratione ergo conſilium petendum, & modus, limites, & quantitas &c. & ad id quod monet ratio oi i ndæ facultates inferiores. Quomodo in ſpecie id compleatur, inferius agendum.

(1) Difficile quidem aſſuefacere voluntatem ad omnem actionem eo dirigendam, ut augeat in ſe, augeat in aliis cognitionem Dei: idque eo magis, quod longa intercedit ſeries finium peculiarium, qui debent ſingillatim omnes ad finem ſuum dirigi, ut tandem fini ultimo ſubſerviant; difficile aſſueſacere voluntatem ad potus, cibos, deambulationes, & alia generis ejuſdem unice propter Deum appetenda, tanquam media ad finem, cum hæ res tam a Deo ſint diſſitæ, & non immediate ad illum ferantur, ſed mediate: ab his enim oritur generatio ſanguinis; inde eductio, & ſecretio; ab his ſenſationes; a ſenſationibus apprehenſiones; hinc attentio uſque ad Dei ideam, ejuſque attributorum in nobis excitandam: rurſus ab idea Dei per cognitionem habita, motionem ejus ſenſu quodam intimo debemus excipere, quæ per facultates noſtras ſyntheticas progrediendo deveniat uſque ad gloriam Dei patefaciendam operibus, & proferendam, ut ita in aliis, aut excitetur, aut augeatur Dei notitia. In his finibus peculiaribus illum ſemper habere præ oculis finem, & ſemper eos velle, & in omni actione ſive ad aperiendam nobis, ſive ad proferendam aliis gloriam Dei, imo nunquam, quantum potis eſt, ab iis ceſſare, ut ſemper magis idea Summi Numinis creſcat in nobis, & latius efferatur in alios, (in quo proprie tota conſiſtit hominis perfectio), impoſſibile, nedum difficile videtur. Ita quidem: ſed mihi multo videtur difficilius, aſſueſcere quemquam ad tot litterarum notas addiſcendas, quot ſunt prima legendi rudimenta, & poſtea omnes inter ſeſe colligendas, & permutandas tot, ac tam variis rationibus; & cuicumque earum immutationi, quæ pene ſunt infinitæ, novum addere ſenſum, & novam rerum ideam; & non ſolum ſingulis quibuſque verbis, ſed

etiam

D. Voluntas hominis eſt, quæ operatur duce, & prævia ratione ex §. 58. Ratio ſuggerit bona corporis; nimirum ſanitatem, victum, veſtes, acquirenda propter ſenſationes, ex iis quæ diximus de cultu corporis: Senſationes propter Apprehenſionem &c. ex iis, quæ de cultu mentis, quæ ſunt bona animæ: ergo voluntas determinare debet bona corporis propter bonum animæ. Attentio, Reflexio, Analyſis, Profunditas determinanda, ut cognoſcatur Deus ex §. 47. Co-

etiam innumeris tot verborum, & idearum conjunctionibus, quas vulgo ſententias appellamus, rerum ideas attribuere, ſibique ad litterarum adſpectum excitare; & ex multitudine ſententiarum eruere, quis veluti ſpiritus ſubſit omnibus. Et tamen uſu, & exercitatione continua non modo ſtatim inectuntur litteræ, & ſyllabæ conjunguntur; ſed verba periodi omnis nulla temporis intermiſſione variantur; excitatur ſubito in aliis quidquid ipſi ſentimus, & ſine mora concipitur; & unico velut actu nedum literæ, ſed & earum combinationes, & cum ſyllabarum conjunctione conjunctio verborum, & idearum, quas ipſi affigimus, & ſententiæ intelliguntur abſque omni difficultate. Jam, quæ dico, animadvertitis, quæque in vobis ipſi experimini. Difficillimum hoc videbatur, imo impoſſibile ab initio, & etiamnum impoſſibile videtur iis, qui legere neſciunt: & tamen pueri paulatim ad dignoſcendas litteras aſſueſcunt, paulatim ad colligendas inter ſe, & variis rationibus immutandas &c. ita quod impoſſibile videbatur, facillimum, & uſu communiſſimum factum eſt inter nos. Non aliter pueris debent Parentes proſpicere; quoniam hic eſt finis naturæ unus. Primum, ſicut litteras ſingillatim agnoſcimus, ita edere, ſe veſtibus coutegere, deambulare, velut totidem ſejunctas literarum notas eos edoceant; inde attentionem addere, & reflexionem; poſtea inter ſe conjungere; ſcilicet veſtes requiri, ut nuditas operiatur, & ſervetur pudicitia; inſuper requiri, ut ab aeris intemperie nos ipſi defendamus, & ſanitas conſervetur, quam porro neceſſariam eſſe, ut cum integritate corporis integritas mentis, & præcipue in edendis actionibus opportunæ vires habeantur; & ita deinceps donec ad officia Religionis deveniatur, ut paulatim ita pueri ad uſum illum, habitumque veniant ideam ſibi Dei in omni actione objiciendi. Sicut autem in addiſcendis litteris labore opus eſt tum Magiſtris, tum diſcipulis uſquedum veniamus ad ea intelligenda cum facilitate, quæ ſub his notis clauduntur, ſed poſt aliquid laboris habitus jam, & uſus facillimus comparatur; ita etiam in inſtruenda voluntate ad actionem quamcumque ad Deum dirigendam. Multum inſudandum, ferenda multa,

Cognitio Dei requiritur propter Religionem, ut conſtat ex prima Parte. Ergo Voluntas determinare debet bona animæ propter Religionem. Atqui ſemper determinare debet bona corporis propter bonum animæ, bonum animæ propter Religionem, quia unicus eſt finis. Ergo habitum acquirere debet determinandi bona corporis propter bonum mentis, bona mentis propter Religionem.

§. 63. Qui omnes omnino voluntatis actiones ad legem naturæ componit;, Innocens appellatur, ſeu potius cum voluntas omnes omnino actiones ad Deum dirigit, Innocens eſt.

§. 64. Tenetur Voluntas omnes omnino actiones ad Deum dirigere.

D. Tenetur voluntas habitum acquirere dirigendi bona corporis ad bonum animæ, bonum animæ ad Religionem. Ergo tenetur voluntas omnes omnino actiones ad Religionem dirigere, hoc eſt ad Deum.

§. 65. Innocentiam ſervare tenemur.

D. Tenetur voluntas omnes omnino actiones ad Deum dirigere ex §. præcedenti. Qui omnes omnino actiones ad Deum dirigit Innocens eſt ex §. 63. par. 2. Ergo tenemur Innocentiam ſervare.

§. 66.

---

ta, ut habitus quicumque ſive in ſcientiis, ſive in artibus acquiratur; & non niſi poſt annos plurimos facilitas, rerumque finis acquiritur. Ita in habitu dirigendi ad Deum quamcumque actionem comparando plurimum eſt inſumendum laboris. Plerique tamen inſudant in uſu ſcientiarum, & artium: perpauci vero in habitu, ;& facilitate referendi ſemper ad Deum actiones. Perpauci quidem naturæ legem ſequi curant: pauci ſemper magiſtri perpaucos habuere diſcipulos. Cum quilibet Parens affatim naturæ legibus inſtructus, præ penuria diſcipulorum, novos generare, quos inſtruat, deſiderare debeat, qui finis unus eſt Matrimonii habitis jam filiis, cum veluti doctor legum naturæ, & amator præcipuus inſtruendis, & ad legem naturæ componendis filiorum moribus operam omnem impendere debeat; tamen, quod prorſus mirum eſt, & lacrymabile, in cæterarum rerum habitu comparando filios edocent, at in habitu acquirendi illas exercendi actiones, quæ pariunt nobis veram, æternamque felicitatem, negligentiſſimi, in illecebris, deliciiſque otioſi immorantur, quas objiciunt in medio nobis inimicæ voluptates.

Digitized by Google

§. 66. Cum voluntas aliquam ſive animæ, ſive corporis actionem ad Deum non dirigit, Innocentiam lædit; ac proinde contra Naturam agit.

D. Innocens eſt, cujus voluntas omnes omnino actiones ad Deum dirigit ex §.63. Ergo ſi aliquam Voluntas ſive animæ, ſive corporis actionem ad Deum non dirigit, Innocentiam lædit. Atqui Voluntas natura tenetur omnes omnino actiones ad Deum dirigere ex §.64. par. 2. Ergo ſi aliquam ad Deum non dirigit contra Naturam agit. Ergo Innocentiam lædere contra Naturam eſt (1).

§. 67. In peccato immorari idem eſt, ac immorari in receſſu a felicitate.

D. Peccatum eſt receſſus a Deo ex §. 37. primæ Partis; Atqui receſſus a Deo idem eſt, ac receſſus a felicitate ex §. 30. primæ Partis; Ergo in peccato immorari idem eſt, ac immorari in receſſu a felicitate.

§. 68. In peccato immorari contra Naturam eſt.

D. In peccato immorari idem eſt, ac immorari in receſſu a felicitate ex §. precedenti. Atqui Natura ſemper, & unice tendit ad felicitatem ex §. 9. primæ Partis. Ergo immorari in receſſu a felicitate contra Naturam eſt. Ergo immorari in peccato contra Naturam eſt (2).

§.69.

(1) Nihil tanta cuſtodia ſervandum, quam Innocentia. Ea quidem in hoc ſita eſt natura ſua, ut omnes omnino actiones dirigantur juxta legem naturæ; quod idem eſt, ac dirigere ad Deum; nam aliam legem non agnoſcit natura, niſi quærendi propriam Felicitatem, quæ eſt Deus: ergo ad Deum dirigendæ omnes actiones noſtræ; & ſi ab eo ſejungamur, ſicut a Felicitate noſtra decidimus, ita a naturæ lege declinamus. Quamcumque vel minimam actionem ſi non ad Deum referamus, erimus nocumento nobiſmetipſis; quia naturam noſtram a Felicitate removemus. Itaque Innocens erit qui ſibi nihil nocebit. Et ne in aliquo nobis ipſis noceamus, opus eſt in actione quacumque a Deo non recedamus. Merito ergo Innocentia ab omnibus paſſim lilio comparatur, cujus candori quicumque etiam minimus officit attactus.

(2) Non ſolum peccatum eſt contra Naturam, ſed in peccato manere eſt etiam contra Naturam, & ideo novum peccatum. Non ſolum enim eſt noxium, damnoſumque naturæ, & contra ejus appetitum receſſiſſe

a Deo

§. 69. Converſio eſt Voluntatis regreſſus ad Deum.

§. 70. Tenemur ſtatim poſt peccatum converti ad Deum.

D. In peccato immorari contra Naturam ex §. 68. par. 2. In peccato immorari idem eſt ac immorari in receſſu a felicitate ex §. 67. par. 2. Receſſus a felicitate idem eſt, ac receſſus a Deo ex §. 3. primæ Partis. Ergo tenemur poſt peccatum ſtatim converti ad Deum.

§. 71. Converſio ad Deum non obtinetur, niſi Voluntas omnes omnino paulatim abſtrahat facultates a creaturis.

D. Converſio eſt voluntarius regreſſus mentis ad Deum ex §. 69. par. 2. Mens non convertitur ad Deum, niſi prius voluntas abſtrahat cognitionem a Senſatione, ab Apprehenſione, ab Attentione, ab Analyſi, a Profunditate ex §. 39., & antecedentibus p. 2. Ergo voluntarius regreſſus Mentis ad Deum non obtinetur, niſi voluntas omnes omnino paulatim abſtrahat facultates a creaturis.

§. 72. Compunctio eſt tædium ex intuitu ſceleris commiſſi cum intuitu pœnæ, vel omiſſionis boni cum illo conjunctæ, perceptum (1).

§. 73.

---

a Deo; ſed etiam in hoc a ſua Felicitate receſſu demorari. Omnes enim actiones ſuas Natura ad ſuum finem vult dirigi, & ideo manere in peccato idem eſt ac tenorem, curſumque actionum ad finem tendentium, intermiſſum non reſumere. Sed ut hæc melius intelligantur, exponere conabimur quædam, quæ ad converſionem attinent.

(1) Diſtinguenda a converſione compunctio, juxta ſententiam Divi Auguſtini: *Compunguntur, ſed non convertuntur*. Probe dignoſcere quid ſit diſcriminis inter converſionem, & compunctionem, maximi momenti eſt, & maximæ ad bene vivendi rationem utilitatis. Compunctio non eſt quidem converſio; ſed ſolum ſtimulo, & adjumento eſſe poteſt, ut quis facilius convertatur. Poteſt, inquam, compungi, & quamquam vere compungatur, niſi in actus poſteriores, ad quod veluti aperuit oculos, deſcendat, nullius erit utilitatis compunctio: imo majoris indurationis cauſa, & ſeneſcendi in peccato ſolet eſſe ut plurimum. Sed ut hæc clariora fiant, opus eſt ante exponere geneſim compunctionis, ut ſigna, gradus, diſcrimen a converſione, dignoſcantur. Anima convertitur ad creaturas ob perfectionem aliquam, quam in ipſis aſpexit: intuitus perfectionis gignit voluptatem, quæ efficit, ut natura facilitate ma-

Digitized by Google

majori feratur ad creaturam; in quo, ut in prima Parte adnotavimus, ſitus eſt affectus, uſquedum voluntas per ſuas facultates accedat quamproxime ad objectum, ut, ipſi, vel ejuſdem ideæ inhærendo, fruatur magis, & abunde de eo percipiat voluptatem. Ita afficitur Anima, ſeſeque in novo quodam veluti ſtatu collocat etiam, quin advertat. In averſione a Deo, converſione, amplexuque creaturarum cadit, & recedit a ſimplici, obruitur compoſitione; & animus, e diſpoſitione, & habitudine percipiendi voluptatem ex contemplatione Dei, in quo Amor Dei conſiſtit, comparatum ſe ſentit, & pronum jam ad percipiendam voluptatem e creaturis, in quo conſiſtit Amor creaturarum. Poſtquam anima perficit peccatum; ſeu actum, quo ſe movit in amplexum creaturarum, manent adhuc in nobis, & in phantaſia noſtra, ſicut ideæ, & veſtigia rerum materialium, ſic & proclivitas, & potentiarum noſtrarum in objectum inclinatio, quæ nobis animadvertentibus, & ſpectantibus alia, perſeverat, & agit in nobis. Quoniam ſpiritus illuc feruntur, ſi non omnes, certe pars eorum nonnulla, quo aliquando voluptate duce ſe contulerunt; hinc ob nimium affluxum redditur nobis, & excitatur ex ſe quandoque illa idea ſine vi ulla, aut imperio voluntatis. Hæc de geneſi, & affectu peccati, & quomodo habitu permaneat in nobis, leviter attigiſſe ſit ſatis.

Quod ſi cum idea voluptatis, & rei expetitæ objicitur, ſimul idea alicujus mali, quod ex amore illo oriatur, ſive ex iis, quæ audivimus, aut legimus, ſit obvium oculis aliquod amiſſum bonum, vel aliquod malum, quod nobis ipſi comparavimus, vel potius quod eſt intrinſecum actioni, a natur[illegible] abhorrenti; ſicuti ex objecto ſenſibili oritur voluptas, ita ex [illegible] mali, ſive alicujus boni amiſſi tædium; & fit voluptas amaritiei commixta; & in eamdem animæ veluti partem, in quam eſt illapſa voluptas, ſubit ſimul tædium, & velut pungit ſuo mœrore animam, unde nomen compunctionis ortum fuiſſe credo. Quantitas, & qualitas compunctionis pendet ex quantitate, vel qualitate amiſſi boni, vel mali comparati, quod objicitur. Quodlibet ſcelus grave neceſſe eſt ideam alicujus damni gravis ſibi conjunctam habeat; tum quia per peccatum natura hominis in naturam bruti degenerat; non enim amplius, dum eſt in peccato, intellectu utitur, ſed manet in humili phantaſiæ magis, aut minus cultæ per Attentionem, ſive per Analyſim, ſive etiam per ipſam Profunditatem; tum ob nimium a felicitate receſſum, in quo eſt per peccatum; tum denique ob veram, & poſitivam infelicitatem, in qua ſita eſſe reperiretur, ſi, dum hæret creaturis longe a Deo, ex hoc corpore exiret Anima, ſcilicet, e commercio Mundi hujus adſpectabilis, ex hac rerum viciſſitudine, quæ cauſa eſt, & origo ſicut percipiendi multa, & ſucceſſive varia bona, ſic non appercipiendi propriam infelicitatem, ſcilicet receſſum a Deo. Nihilominus

Digitized by Google

Anima, e cognitione actionum ſuarum non ſemper compunctionem percipit, nec ſemper compunctionis quantitas eſt eadem. Qui enim fertur ad amplexum ſenſibilium, & adhæſionem creaturarum, non id agit ex intuitu mali, ſed ſub intuitu boni, & donec in ea perdurat creaturæ cognitione, cujus reſpectu illi adhæſit, tantum abeſt, ut doleat, ex legibus Pſychologiæ, ut potius voluptatem concipiat, & appetitus rem iterum deguſtandi ſurgere non ceſſet. Tunc experiri aliquid incipit in ſe tædium, cum expergiſcitur, & ad ideam mali, quod prope ſtat, intendit oculos, vel ſi ideam mali nullam habuit, cum quis eam ſuggerit, vel excitat ope librorum, aut ope prædicationis, adhortationis &c. Quantitas tædii pendet a quantitate mali, quod objicitur. Hæc autem diverſimode fiunt pro rerum diverſitate, quæ talem intuitum comitantur. Poteſt malum eſſe maximum, ſed non in omni ſua magnitudine percipi, vel præ profunditate, & magnitudine ideæ, quam Paſſio impreſſit, vel quia idea mali quantitati ipſius mali non reſpondeat. Hinc primo ad excitandam in aliis, aut in ſe ipſo compunctionem, eo vividiorem, & ampliorem ideam mali debet ſibi proponere. Hanc ob cauſam proponi ſolent, ut meditentur, quæ vulgo dicimus pertinere ad viam purgativam, & Eccleſia initio anni Eccleſiaſtici, ut peccatores ad veram converſionem diſponat, meditationem Judicii, & malorum omnium, quæ ipſum comitantur, proponit omnibus, ut compuncti facilius viam Domino præparent, converſionemque ſuam perficiant. Huc pertinent ſceleſtorum ſupplicia, receſſus a fine hominis, pænarum æternitas, majori, qua potis eſt, luce, & aptioribus imaginibus earundem explicatio, & meditatio. Ideæ hujuſmodi licet dolorem, aut tædium, & quandoque triſtitiam, vel etiam mœſtitiam ex ipſo peccato afferant, non ideo Anima converſa eſt ad Deum, ſcilicet Deo conjuncta, & ab omni penitus creatura per affectionem ſeparata; ſed adhuc morari poteſt in Phantaſia, in qua, ex conjunctione mali, vel boni amiſſi cum peccato, ſe dolore ſentit, & tædio affici. Ideæ mortis, pænarum æternarum, &c. non ſunt ſupra mentem, ſed ſub mente; ac proinde compunctio originem ducit non a Deo immediate, ſed a creaturis; ac proinde, etſi mala non ſit, cum diſponat Creaturas ad acceſſum ad Deum; converſio tamen vera non eſt; quia non jungit animam ipſi Deo; conjunctio mali cum peccato ſolum id agit, ut magis diſponat animam ad recedendum a peccato. Anima, quæ fertur natura ſua ad voluptatem, & refugit tædium, ægre a ſenſibilibus rebus, & a peccato removeretur, ſi tædium non apperciperet mali, quod objicitur, & eſt cum ipſis confuſum, ac mixtum: imo cum majus repræſentetur malum præ voluptate, ſeu præ bono ſenſibili, majus ideo voluptate tædium; & propterea præ multitudine doloris a voluptate peccati facile removetur anima; ac proinde facile poterit facultates ſuas a peccato abducere, & pau-

§. 73. Qui alium compungi deſiderat, ideam mali, vel boni amiſſi ex culpa ſua excitet ex §. antec.

§. 74. In compunctione Mens non intuetur Deum.

D. Compunctio eſt tædium ex intuitu mali, vel boni amiſſi propter ſcelus perpetratum ex §. 72. Ergo in ſimplici compunctione mens non intuetur Deum.

§. 75. Simplex compunctio non eſt Converſio.

D. Converſio eſt voluntarius regreſſus Mentis ad Deum ex §. 69. par. 2. Per ſimplicem compunctionem mens non eſt converſa ad Deum ex §. 74 par. 2. Ergo ſimplex compunctio non eſt Converſio.

§. 76. Anima natura ſua facilius ea refugit, ex quibus tædium percipit, quam quæ voluptatem ipſi creant, ex Pſychologia Empyrica.

§. 77. Compunctio medium eſt opportunum, ut Anima cum facilitate avertat ſe a peccatis: & quo major erit Compunctio, eo facilius ab iiſdem ſe avertit.

D. Anima facilius ea refugit, ex quibus tædium percipit, quam quæ voluptatem ipſi creant ex §. 69. p. 2. In compunctione Anima tædium percipit ex ſcelere commiſſo ex §. 72. par. 2. Ergo Compunctio medium eſt opportunum, ut Anima cum facilitate avertat ſe a peccatis. Secunda pars patet ex prima.

§. 78. Mens ſi per Compunctionem a Creaturis omnino avertitur, incipit intueri Deum.

T 2 *D.* Crea-

& paulatim ad ſe trahere, ut poſt ferat ad Deum. Sed hoc loco neceſſaria diſtinctio eſt, ne compunctionis doctrina cauſa ſit erroris. Licet enim animæ compunctio medium eſſe poſſit efficaciſſimum ad evellendas animas noſtras a ſenſibilibus, & ab amplexu creatarum perfectionum, Deoque conjungendas; tamen eſſe quoque poteſt ſons, & origo novi ſceleris. Nam, ſi, occaſione tædii ex mali conſideratione percepti, anima incipiat ſe, ſuaſque facultates a ſenſibilibus abſtrahere; bona erit compunctio; cum ſit initium converſionis ad Deum: Si vero tantum propter amaritiem, tædiumque cum peccato adjunctum velit ſe a peccatis abſtinere, ita ut, illis ceſſantibus, nolit; actus hic creaturarum affectum nedum non abrumpit, ſed confirmat, ac roborat, quem timorem *ſerviliter ſervilem* appellant.

Digitized by Google

D. Creaturas inter, & Deum non datur medium. Mens enim eſt actus Animæ, quo a ſenſibilibus averſa ad ſimplicitatem convertitur ex §. 39. par. 2. Ex hypotheſi per Compunctionem a Creaturis omnino avertitur. Ergo convertitur ad ſimplicitatem. Vera ſimplicitas eſt Deus ex Theologia Naturali; ergo convertitur ad Deum; ergo incipit ipſum intueri; ergo mens, ſi per compunctionem a creaturis omnino avertitur, incipit intueri Deum.

§. 79. Mens a Creaturis avulſa incipit voluptatem capere ex Deo.

D. Mens ſi per compunctionem a Creaturis avellitur, incipit intueri Deum ex §. ant. Deus eſt vera Perfectio ex Theologia Naturali: Ex intuitu Perfectionis oritur Voluptas ex §. 3. primæ Partis; ergo ex intuitu Dei voluptatem capit. Ergo mens a Creaturis avulſa incipit voluptatem capere ex Deo.

§. 80. Si mens per compunctionem a Creaturis avulſa inhæret Dei, & ejuſdem perfectionum contemplationi, in ipſa oritur amor.

D. Amor eſt diſpoſitio Animi ad percipiendam voluptatem ex alterius perfectione ex §. 59. primæ Partis. Animus diſponitur ex frequenti contemplatione objecti perfecti ex §. 64. primæ Partis. Ergo mens ſi per compunctionem a Creaturis avulſa inhæret Dei, ejuſdemque perfectionum contemplationi, in ipſa oritur Amor.

§. 81. Amor Dei eſt vera naturæ humanæ converſio ad finem ſuum.

D. Natura humana tendit ad felicitatem ex §. 9. primæ partis; objectum felicitatis eſt Deus ex §. 11. primæ partis. Ergo tendit ad Deum, ut ex ipſo voluptatem capiat ex §. 7. primæ partis. Facultates naturales eodem determinantur fine, quo Natura ipſa, cui inſunt ex §. 15. primæ partis. Ergo tendere debent ad Deum, ut ex ipſo voluptatem capiant; ſi tendunt ad Deum, ut ex ipſo voluptatem capiant, datur diſpoſitio Animæ ad percipiendam voluptatem ex Dei perfectionibus. Ergo datur Amor. Ergo ubi datur

Digitized by Google

Amor Dei, datur diſpoſitio Naturæ, ejuſdemque facultatum ad percipiendam voluptatem ex ſuo fine. Ergo Amor Dei eſt vera Naturæ humanæ converſio ad finem ſuum.

§ 82. Amor Dei eſt vera naturæ humanæ converſio ad Deum ipſum.

D. Amor Dei eſt vera naturæ humanæ converſio ad finem ſuum ex §. præcedenti: finis naturæ humanæ eſt Deus ex §. 40. primæ Partis; Ergo Amor Dei eſt vera naturæ humanæ converſio ad Deum ipſum.

§. 83. Converſio ergo idem eſt, ac naturæ humanæ reditus ad finem, quo ipſa tendebat ex §. præcedenti, & 40. primæ partis (1).

JURIS

(1) Neſcio unde ſit orta confuſio, quo aſpera eſt, & involuta doctrina tanti momenti, ſcilicet Converſionis. In primis certum eſt apud omnes, quod, ſicut amor eſt primum, quod natura percipit, tamquam medium neceſſarium ad aſſequendum ſuum finem, ſeu felicitatem, ita quicumque non illi adhæret, nec ab eo fertur, eſt extra finem, quo natura tendit. Ad aſſequendum finem, nedum natura, ſed & omnes ejuſdem facultates debent eſſe diſpoſitæ, ac directæ, ut in ipſo conquieſcant, & voluptate perfuſæ conſiſtant: Nam ſi alio directæ ſunt facultates, & in adverſam partem tendunt, impoſſibilis eſt aſſecutio finis: ſi verſus finem directæ ſunt, ac diſpoſitæ facultates, ut in illo conquieſcant, jam datur amor. Amor igitur ſicut primum eſt a natura præceptum, tamquam ſalutis initium, ita & initium eſſe debet veræ converſionis, ac norma. In hoc omnes conveniunt, tum Theologi Chriſtiani, nimirum quod vera, ac perfecta converſio claudere in ſe, complectique debeat amorem Dei; juxta hos, amorem ſupernaturalem ſeu charitatem perfectam; juxta illos, amorem naturalem, ſeu Philoſophicum. Negare hoc eſſet idem ac non intelligere plane, cur amor Dei ſit prima lex naturæ; cur charitas, ſeu amor ſupernaturalis ſit prima lex, & fundamentum Religionis Chriſtianæ. Quæſtio eſt in modo, & gradibus hujus converſionis, ſeu potius diſpoſitionis ad veram converſionem; in cujus inquiſitione tot, & tantæ fuerunt lites inter Theologos, & adhuc exiſtunt; tamque variæ rationes adhibitæ ſunt ad rem in luce collocandam, non in veteribus quidem, ſed poſterioribus Eccleſiæ temporibus. Si licet, quæ ſentio, exponere; qui novit animæ facultates, & quibus illa agat juxta rectam Pſychologiæ doctrinam, non magnam in hoc reperiet difficultatem. Nam quod compunctio id agat, ut revocet ho-

Digitized by Google

hominem a peccato, & moveat multum ad amplectenda ea, quæ Dei ſunt, unicuique clariſſimum eſſe debet, licet ſint plures, qui poſt Lutherum id denegent. Tædium eſt hujuſmodi naturæ, ut ab objecto, quod hunc affectum gignit, animam abducat: & ideo ubi anima tædium a peccato percipit, pronam ſe ſentit ad illud relinquendum. Quæ interna a peccato alienatio, ejuſdemque faſtidium, licet nequaquam ſit per ſe actus ad ſalutem bonus, & juxta legem abſolutam naturæ; (nam lex, ſeu natura poſcit directe a nobis amorem Dei, tamquam primum, & immediatum medium ad aſſequendum finem, poſcit augmentum cognitionis ejus, promotionem gloriæ &c.) tamen quia poſt receſſum a Deo, contrarium ſuis legibus, eadem natura poſcit regreſſum, & amorem Dei; vult per conſequens, ut media ad ipſum ferentia adhibeamus: ideoque eſt inter leges ejus hypotheticas removere, quæ obſtant: & compunctio, quæ facilem reddit viam converſionis, etſi non ſit illud bonum, quod primario natura dictat, eſt tamen aliquod bonum, quia removet, quæ obſtant, & generat facilitatem, ſeu inclinationem animæ redeundi ad amorem illum, quem primario jubet. Multo minus dicenda malum: Malum enim eſt actus ille, quo a Deo recedimus. Compunctio vero licet ſit tempore poſt illum mentis actum, quo anima receſſit a Deo; tamen non ſolum non amovet ipſam a Deo, ſed eſt actus, quo anima fit expeditior ad regreſſum, & adhæſionem cum Deo, & ideo appellari jure poteſt actus bonus ſecundarius, ſeu hypotheticus, quia actus abſolute bonus eſt ille, quo vel adhæremus, vel creſcimus magis in Deo.

Poteſt quidem compunctio ſuos habere gradus, & intentionem, & pro gradibus, & intentione poteſt magis, vel minus abſolvere facultates animæ ab illigationibus creaturarum; poteſt tædium e malo, vel ex amiſſo per peccatum bono perceptum, talem gignere alienationem a creaturis, quæ animam removeat quidem ab immerſione, vel per ſenſum, vel per imaginationem in objecto, ſed non ab attentione. Poteſt tantam inducere deteſtationem, ut non ſolum a contactu, vel adhæſione ſive per ſenſum, ſive per imaginationem abhorreat, ſed etiam refugiat apprehendere iterum peccatorum objecta: evitata occaſione, nedum refugiat ipſi ſtudere ope attentionis, vel cuilibet ejuſdem parti ope reflexionis; ſed etiam abhorreat a minima quacumque parte ejuſdem. Hinc eſt, quod omnes expediat facultates ab affectu, & a laqueis, quibus fuerit irretita, Creaturarum, & peccati. Quæ omnes facultates utpote multitudine conſtituentes affectum, cor appellantur, & quia communiter harum facultatum nomina & functiones ignorantur, uſitato nomine cordis contritio appellatur, ac ſi omnia cordis vincula conterantur: quilibet enim facultatis cognoſcitivæ affectus eſt quoddam vinculum, quo ipſa voluntas, quæ eam dirigit, adhærendo creaturis illi-

ligatur iiſdem. Quod ſi mens ſe expediat per ſummam compunctionem ab omni affectu creaturarum, cum ſupra profunditatem conſtituatur, ex dictis, ubi de cultu mentis egimus; impoſſibile eſt, ut non incipiat intueri Deum, & cum intuitu Dei quamdam ex ipſo non appercipiat voluptatem ex §. 3. primæ partis. Hinc impoſſibile eſt dari veram, ac ſummam compunctionem ſine initio alicujus divini amoris, præſertim cum anima non poſſit ſine amore conſiſtere. Utilis ergo ſemper mihi viſa fuit quæſtio: an, præter veram, ſummam, & univerſalem compunctionem, requiratur aliquod initium amoris Dei ad attritionem. Quod ſi de gradibus infra ſummam compunctionem ſermo ſit; ſicut, ſine initio amoris divini ipſam conſiſtere, clarum eſt cuique; ita evidens eſt, non ab omni vinculo peccati, & affectu ejuſdem, cum infra mentem ſit, ſolutam eſſe, ac plane liberam.

FINIS SECUNDÆ PARTIS.

Digitized by Google

JURIS NATURALIS
PARS TERTIA
De Officiis erga alios.

CAPUT PRIMUM.

De Fundamento Societatis naturalis, ſcilicet de Societate Conjugali.

§. 1. ACtio humana eſt actuum ſimplicium aggregatum, ſeu complexus a facultatibus hominis procedens & alicui determinato fini reſpondens, ſeu approximans (1).

§. 2.

(1) Actio humana eſt, quæ procedit ex facultatibus Homini propriis Intellectu, ac Libertate, quæ communiter appellatur Voluntas. Cognitio, uti ſupra dictum eſt Prolegom. §. 3., dividitur in Memoriam, Phantaſiam, Intelligentiam &c. ab diverſis functionibus: ita quoque Voluntas. Facultates corporis, quæ ad actionem ſæpe concurrunt, non Hominis propriæ ſunt facultates; nam communes cum Brutis. Nec dicendi actus Hominis interni motus, aut actus, in quibus ſine Libertate ſubeſt ſu-

Digitized by Google

§. 2. Actio moraliter bona eſt, cum accedimus ad Deum ex §. 26. 1. partis.

§. 3. Hæc autem dividitur in Perfectam, Bonam, & Licitam: Actio humana tunc perfecta eſt, cum omnes motus, ſeu actus ſimplices reſpondent fini a natura volito.

§. 4. Cum vero omnes actus ad finem a natura volitum diriguntur; & præter intentionem aliquis ſubrepit defectus, vel in velocitate, vel intentione, vel quantitate, actio dicitur Bona.

§. 5. Cum actus aliquis, natura ſua inordinatus, ingreditur, tamquam medium naturale, actionem, quæ natura ſua accedit ad Deum, eoque animo peragitur, ut mens accedat ad Deum; Actio tunc Licita dicitur (1).

V §. 6.

---

intellectus, ſola ſine cognitione facultas agendi, ſeu ſpontaneitas. Et cognitio ſolet multis actibus in actionem confluere: percipit, vel proponit objectum, enumerat notas, quærit viam, qua compos fiat ejuſdem, confert quandoque cum aliis, providetque ex eo veniant damna, an utilitates. Cum ergo Voluntas, ſeu Libertas, motibus ſuis erga cognitum objectum, aut omnes hos actus, aut quoſdam ſequitur, ut adhæreat objecto, (cujus indicium manifeſtum delectatio plena, & intima,) tunc dicenda Actio Humana: Nam delectatio plena, & interior, (loquor de delectatione interiori Animæ, non de ea, quæ ex pura repræſentatione oritur neceſſario in phantaſia,) non eſt aliud, niſi acceſſus Voluntatis ad cognitum objectum, & adhæſio eidem, & ideo tunc plena eſt, completaque Actio Humana; quia ſi objecto cognito Libertas adhæret, tota anima adhæret, quæ in duabus his facultatibus, Cognitione, & Voluntate, ſubſiſtit. Semper Anima ex repræſentatione boni percipit voluptatem, ſed cum voluntas cognito bono adhæret, illi veluti unitur, & tamquam proprium, ſibique intrinſecum contemplatur; & ideo per conſequens plena in ea, & intima delectatio.

(1) Bonum ex integra cauſa, ait effatum commune, Malum ex quocumque defectu: quævis enim actio manans ex activo principio, habet ſuum naturalem finem; nam actio cum ſit motus, naturaliter fit, ut per eam operativa facultas aut accedat ad objectum, aut recedat; quod ſi non cognoſcat, tunc actio utpote mere phyſica, ut in rebus inanimis, eſt ſpontanea, non Voluntaria, ideoque non Humana. Voluntas prævia ratione agere debet; & ante noſcendum quæ ſit naturalis actionis

Digitized by Google

nis tendentia, & poſtea dirigenda. Quapropter ſi actio eſt vi ſuæ naturæ Bona, quia congruit ſini, deficit vero cognitio; tunc non Actio Humana, nec Moraliter Bona: non enim Homo accedit ad finem. Si vero cognitio actionem, alio natura ſua tendentem, per intentionem ad rectum aliquem finem dirigat, nec tunc Bona erit Actio: nam & deeſt recta ratio, cujus eſt dirigere actiones natura ſua tendentes ad rectum finem; nec dari poteſt acceſſus ad finem, cum deſint media, quæ ſunt motus facultatis operativæ, per quos ad Deum accedimus. Itaque ſi ſit defectus vel in cognitione, vel in operativa facultate, numquam Actio erit Bona. Hinc apparet, Bonum debere eſſe ex integra Cauſa, nempe ut cognitio, & actio congruant: & ut in concreto loquamur, tum actio, tum cognitio neceſſe eſt conveniant, ut ſit acceſſus ad Deum. Hinc intelligitur, quare Malum ex quocumque defectu. Nam dari motum in Homine, qui non feratur ad Deum, & aliud ſit, quam ad eum acceſſio, contra Naturam eſt, quæ ſemper agere debet, ut adhæreat fini, cujus gratia conſequendi facultate operativa prædita eſt. Itaque ſive cognitio, ſive operatio tendat ad Creaturas, actio ſemper mala, quamvis natura, & phyſice bona ſit actio, a cognitione tamen dirigatur ad finem alium; quamvis cognitio dirigat ad finem bonum actionem tendentem natura ſua ad Creaturas.

Actio igitur humana tunc dicitur Bona, cum Hominis facultates moventur ad Deum, finem hominis naturalem: Mala, cum facultates tendunt ad Creaturas. Sed in hac ipſa actione Bona, vel Mala licet plures gradus animadvertere. Bonum morale, ut in §. 27. primæ Partis, eſt acceſſus ad Deum: pluribus vero modis poſſumus accedere ad Deum. Ex parte cognitionis ſunt plurimi ſimplices actus, ut fuſe docet Philoſophia Practica Univerſalis: ex parte Voluntatis ſunt quoque plures appetitus, & inclinationes verſus objectum: Sunt etiam plures gradus virium; major, aut minor in ſequendo, vel fugiendo objecto rapiditas; major, aut minor in cienda ad actionem locomotiva facultate celeritas, ſic in retrahenda. Cum ergo Natura finem alium non habeat præter Deum, omnes ſuas vires, & ſuas facultates conferre in eum debet: & cum omnes actus facultatum humanarum, & omnes vires fini congruunt, non modo Bona hæc actio, quia eſt per eam acceſſus ad finem, ſed id genus boni dicitur perfectum. Si vero non omni, qua pollet, vi Voluntas movetur ad objectum, aut aliqui deſunt actus intellectus, licet non potiſſimi; tunc ſi actio approximet Animam Deo, & cognitio dirigens recta fuerit, Actio Bona dicitur, ſed non perfecta; quia deeſt aliquid, quod Natura conferre poſſet. Præterea ſunt actiones, quibus accedimus quidem ad Deum, ſed ex infirmitate Naturæ, ut fiant, ineſſe debet aliquis actus natura inordinatus: quæ actio quia, etſi quiddam inordinatum contineat, tota tamen fert ad Deum, accenſetur Bonis

§. 6. Perfectum unice a Natura intentum.

D. Perfectum eſt, cum omnes actus ſimplices actionis reſpondent fini a natura volito: ex §. 3. Part. 3. Solus finis naturæ eſt Deus ex §. 40. Part. 1. Ergo ſolus Deus eſt finis omnium facultatum ex §. 15. Partis 1. Ergo omnes actus ſim-

nis, ſed peculiari nomine Licita nuncupatur, ſeu quam Natura non jubet; ſed quia per eam habetur Bonum, Lex, ſive Natura non repugnat, & propterea Licita eſt, ſive Naturæ non repugnans, vel potius permiſſa. Ita, ut infra videbimus, ſi offendimus in injuſtum Aggreſſorem, Licitum eſt homicidium cum moderamine inculpatæ tutelæ; (omittimus hic quid vellet Religio Supernaturalis); at non Bonum, neque Perfectum, quia vita ſervatur, ſed per actum ſua natura inordinatum, qui eſt cædes hominis. Hic vero ne ſit aditus corruptioni Legis, diſtinguendum, & quando inordinatio via eſt ad bonum finem tamquam actio diſtincta, & quando inordinatio cum cæteris ordinatis actibus non duas, ſed unam, eamdemque conſlant actionem. In primo caſu inordinata actio non eſt Licita; poteſt quippe una omitti, altera fieri: aut ſi hæc nequit fieri, quin illa præcedat, ambæ omittendæ: nam cum prima ſit mala; removet nos a Deo, quod omnino contra Naturam eſt: hinc effatum: Non ſunt facienda mala, ut eveniant bona. In ſecundo vero caſu cum eadem ſit actio, quæ rectum ſimul ordinem, inordinationemque contineat, & utrumque natura ferat ad eumdem finem; quia præſtat coordinatio, quæ continet acceſſum ad Deum; dici tunc vere non poteſt Naturam a Deo recedere, ſed potius eum quadam mora ad ipſum accedere; non ſecus ac in duplici illo, & compoſito, quem dicunt, motu, quo ignita pila ad deſtinatum debet locum pervenire. Si nulla alia in gravi Corpore obſtaret vis, motus rectus breviſſimo itinere globum ad ſcopum perduceret. At quoniam naturali gravitate deorſum fertur, præter rectam alia neceſſaria directio eſt, qua ſurſum feratur; ut ita ex contrariis duobus in unum conjunctis, & amico fædere conſociatis motus is fiat, quo ad determinatum finem, ſi non recta, nec ſine aliquali morula, at aliquo tamen, certoque curſu perveniat. Opus eſt igitur primo, ut in una, eademque actione inordinationi concurrat rectus ordo.

Opus eſt ſecundo, ut hæc inordinatio natura inſit actioni; ſeu ut ſuapte natura ita conſtituta ſit actio, ut non ſit niſi cum inordinatione, non vero arte, aut voluntate. Tertio denique animadvertendum eſt, id genus actionum, ut perfectius omittere, ſic, niſi veniant inde magna bona, non licitum perpetrare.

Digitized by Google

ſimplices omnium facultatum debent reſpondere uni fini, nempe Deo. Ergo perfectum unice a natura intentum (1).

§. 7. Bonum qua parte ad finem accedit, a Natura volitum; qua parte aliquis ſubrepit præter voluntatem defectus, pœnam non meretur.

D. Prima pars Propoſitionis conſtat ex §. 28. Partis 1. Quoad ſecundam demonſtratur hoc pacto: Defectus, qui ſubrepunt in actione bona, præter voluntatem ſunt ex §. 4. Ergo

(1) Horruit ſemper Animus ad id, quod dicunt aliqui, nequaquam hominem ad perfectionem teneri, & ſemper id habui ut licentiæ fontem, ac corruptionis principium in moralibus. Si Homo non habet niſi unicum finem, & omnes ejus facultates non ſunt niſi viæ ad hunc finem ab eadem natura exeuntes; omnes actus, qui ſunt ipſum facultatum exercitium, nonne debent fini congruere? Unde hæc immunitas, non intelligo. Aliud quidem eſt, quod infirmitas humanæ Naturæ poſcat, ut, ſi quis omnes vires, omne ſtudium contulerit, prout rerum conſtitutio, & prudentiæ Leges ferunt, & tamen aliquis defectus ex parte mentis, aliquis ex parte cordis ſe veluti furtim immiſceat præter voluntatem, non id vitio Voluntatis tribuatur, ſed naturæ. Omnino vero aliud, quod quis ſtudio nolit totus eſſe in eo, ut perfectionem cuique propriam conditioni acquirat, & volens non curet vel intellectus, vel cordis omnes exercere facultates. Tunc enim hi defectus, ut qui veniant a voluntate oppoſita Legi Naturæ, quæ omnes vires, & facultates ad finem unicum dirigit, accenſendi peccatis ſunt, & pœna digni. Si poſſemus infirmitatem omnem ab Natura depellere, inter Perfectum, ac Malum non eſſet medium, cujuſmodi nunc eſt Bonum, & in gradu infimo Licitum. Hinc quod huic levis Defectus, alteri eſt Peccatum; quia illi ſubrepit ex infirmitate, in altero proceſſit ex voluntate: atque ita intelligitur, quomodo quæ iis, quorum recens ad Deum converſio, ſunt Defectus, vel levia admiſſa, ſunt plerumque peccatum illis, qui in Lege Dei proceſſerunt. Natura, in quibus non eſt voluntas, ſemper dirigit perfecte ſuas vires; nec ad aliud agit ſemper, niſi ad perfectionem. Natura hanc eamdem poſtulat perfectionem ab Homine; nec poteſt dare Legem aliam, niſi ut actiones ejus perfecte congruant fini, & nihil diſſonent. In hoc a cæteris Homo, & Entia Libertâte prædita differunt, quod illa neceſſitate tendant ad finem; his vero inſit voluntas, qua libere id ipſum agant; unde præmii, & pœnæ origo.

Digitized by Google

go a facultatibus homini propriis non procedunt. Ergo actioni humanæ non tribuendi ex §. 1. Ergo per eos homo pœnam non meretur (1).

§. 8. Licitum a natura imperari non poteſt.

D. Perfectum unice a natura intentum ex §. 6. Part. 3. Quilibet actus inordinatus perfectioni opponitur ex §. 3. Part. 3. Actionem licitam ingreditur actus inordinatus ex §. 5. Part. 3. Ergo licitum a natura imperari non poteſt.

§. 9. Ad ſummum ergo permitti poteſt a natura actio licita ex Paragraphis præcedentibus (2).

§. 10. Concupiſcentia eſt appetitus inhærendi Creaturæ medio concubitu (3).

§. 10.

---

(1) Ex demonſtratis in Parte priori, & iis, quæ diximus in annotatione præcedenti, perſpicuum eſt, quæ natura Boni, qui ejus fines, ultra quos verteretur in malum, & naturæ contrarium. Itaque non ulterius in iiſdem inculcandis immorabimur. Unum modo velim diligenter animadvertas; ubi dixi: *præter Voluntatem*: intelligendum, quod quivis pro eo, in quo eſt, vitæ ſtatu, omnem debet curam adhibere, ſtudium omne conferre, licet non ſemper poſſit omnes in unum cogere vires, & facultates. Ita cujus in iniquitate per tot objecta vagata mens eſt, recens ad bonam frugem converſus, non poteſt profecto facultates conſtituere, ut in unum ſpectent omnes: cor omni pravorum affectuum genere corruptum, licet jam vere Deum diligat, ſentit tamen adhuc veterum cupiditatum incitamenta, unde ortum habet infirmitas in parte appetitiva.

(2) Cum in Actione Licita inſit actus Naturæ Rationali contrarius; ex ſupradicta definitione; & actus quilibet Naturæ contrarius cum ſit contra finem, quo ipſa tendit; non poteſt a Natura præcipi, quamvis in tota ſimul actione accedat potius ad finem. Nam uſus illius potentiæ, quæ in hunc actum incumbit, repugnat Naturæ. Poſita infirmitate, qua induti nunc ſumus, permitti poteſt Actio hujuſmodi, quoniam, obliqua licet via, ſed tamen, quo vult Natura, nos ducit. Juberi tantum poteſt, ubi intercedat colliſio, & ubi res ita ſe habeat, ut, omiſſa tali actione, majus bonum amittendum neceſſario ſit. Quomodo Natura permittat, clarum in caſu injuſti Aggreſſoris: quomodo per colliſionem jubere poſſit, in Matrimonio, infra videbimus.

(3) Concupiſcentia eſt motus quidam, & tumultus inferioris partis; qui calore, & impetu ſuo, ab acri quadam materia excitato, ſanguinem om-

Digitized by Google

omnem, ſpiritus, cartilagines noſtri Corporis, & ipſa oſſa ſic incitat, atque inflammat, ut mille intus motiones excitans, & celerrime agens quadam veluti nube, ſpiſſis contexta motibus, lumen rationis offundat: ex quo fit, ut natura acta, & illecta tumultu hoc dulci, tendat adhærere Creaturæ perfectæ. Ut intelligatur, quid ſit concupiſcentia, & quomodo Rationi obſtet; prius, qua ratione Pars Inferior formetur in nobis, exponendum. Si tam æqua fluidorum, & ſolidorum Corporis temperatione naſceremur, ut, quæ nos feriunt, externa objecta recto curſu, quin in itinere augeatur eorum impreſſio, vel minuatur, & ſtatim non ab iis diverſa, quæ organa perpulerunt, venirent ad mentem; ſicut cujuſque rei rationem veram intelligeremus, ita in re quacumque Dei ideam, & peculiaris alicujus Divinæ Perfectionis inſpiceremus. Et contra, ſi perceptio divinarum motionum, quæ ſurgit intus in Anima, recto curſu per Phantaſiæ regiones deſcenderet, proprios inde colores ad ſe exterius exhibendam deſumens; recta eſſet, & conſona Rationi quæcumque actio. Sed cum debiles, & imbecilles naſcamur, nec ſolidorum noſtri Corporis ea ſit elaſticitas, ut quælibet objectorum impreſſio ſtatim, & integra ad inferiores facultates propagetur, ſed ex infirmitate ſenſim in motu medio langueat; adeo ut in Pueris nihil prorſus veniat ad Mentem; hinc eſt, quod, cum tot ſint, & tam variæ ſenſationes, quæ in inferioribus hærent facultatibus, & extra mentem remanent non evolutæ, efficitur in nobis confuſarum idearum indigeſta congeries: Quarum quævis cum bonum, aut malum aliquod confuſe referat, ſcilicet Creaturas; cæco, ſive, ut melius dicam, confuſo intuitu ad quodque amplectendum, ſeu averſandum trahunt; & quæ ita nos ad agendum movent, id ſimul agunt, ne a ratione, vel divina motione actiones initium ſumant, ſed ab corrupto, & cæco ſenſibilium impreſſionum acervo. En igitur quemadmodum in nobis oriuntur appetitus adverſantes rationi, Lex partis inferioris contraria Legi mentis noſtræ. Omnes homines poſt naturalem imbecillitatem ita conſtructi ſumus, ut aut nimia celeritate, aut nimia motus tarditate organa noſtra peccent. Ex tarditate, ut communiter evenit, objectorum externorum impreſſiones vel ex parte, vel omnino pereunt in medio curſu; unde eæ impreſſiones his, qui ſcire cupiunt, iterandæ ſunt, quo ex geminata rei ejuſdem vel ſenſatione, vel lectione plene idea proferatur. Quod ſi cui ſunt organa adeo debilia, & vigoris expertia, ut idea nulla procedat ad mentem; is omnino demens. In nimio autem motu, cum properent ideæ rapiditate maxima ob vehementem Fibrarum incitationem, fit, ut citra mentem nulla omnino conſiſtat. Inter duo hæc extrema vel nimiæ tenſionis, vel languoris, fibrarum omnes conſtituti magis, aut minus ſumus; & hinc nemo non aliquid dementiæ participat.

Quod

Digitized by Google

Quod ſi ea eſſet Hominis conſtructio, & æquilibrium, ut externa integra objecta recto curſu, quin aliquid in itinere depereat, progrederentur; ſicut cujuſque rei naturam penitus Homo noſceret, & proprietates, ita naturalis ei eſſet ſcientia rerum omnium, quæ ſunt ſenſibus obnoxiæ. Unde apparet, ex infirmitate naturæ intrinſecam Homini eſſe ignorantiam; & ubi infirmam participamus naturam, ibi & ignorantiam participare, & cum ignorantia certantes adverſus rationem cupiditates. Ex eo enim, quod ideæ non integre feruntur ad mentem, fit, ut confuſæ, & involutæ maneant in inferioribus facultatibus, & moveant eas, ut ſe cæco more ſequantur, in quo Paſſio, ſeu Cupiditas ſita eſt. Statim ac rei cujuſque inſpicitur vera ratio, & illa ducti rem ſequimur; non amplius illa cupiditatis, ſed rationis eſt actio. Hæc vero imbecillitas ex inordinatione, per quam vires non æque cum aliis ſunt certo limite temperatæ, originem ſuam neceſſario habere debet. Omnia in rebus phyſicis mira ſocietate, & vinculo continentur, ut docet Coſmologia; nec poteſt uni totius Mundi enti accidere inordinatio, quin ſimul omnibus communicetur: hinc nequit Homo inordinate agere, quin ſimul omnia elementa, & corpora inordinationem ſentiant; quæ inordinationis propagatio ſenſibilis fieret, ubi cætera omnia ita eſſent ordinata, ut olim in Principio: inordinatis vero inſenſibilis ut plurimum accidit. Non poteſt inordinatio eſſe a Deo immediate: quod a Deo immediate oritur, non modo in toto, ſed in ſingulis partibus ordine eſt conſtitutum. Nec eſſe potuit ex cauſis neceſſariis: hæ enim ſequuntur Leges, motuſque a primo movente impreſſos. Ex aliqua ergo ſecundaria cauſa libera oriri debuit rerum inordinatio. Cauſa libera agens contra ordinem Naturæ peccare dicitur: fuit ergo, & debuit eſſe aliquod peccatum, a quo primum ſit inducta inordinatio. At inquies, poſito quod integer, ut paulo ante diximus, creari debuit Homo, etſi liber; quia tamen expers Inferioris Partis, quæ cum Ratione pugnaret, nequaquam fuit ejus Naturæ, ut facile peccare potuerit, & per peccatum inordinationem in Mundum inducere. Ita quoque equidem reor: aliud propterea ante Hominem oportet ponere ens liberum expers Corporis, & quodam vinculo, & ordine Creationis cum Homine ſociatum, quod prius in ſe ſuis actionibus liberis inordinatione inducta, in Animam deinde Hominis illius perverſi motus aliquid induxerit, & partem ſuæ inordinationis adſciverit: unde in Hominem cupiditates prius venerunt, deinde ignorantia, & hæreditas peccati cum ipſa. Quomodo autem Ens ſpirituale, compoſitionis expers, antequam veniſſet ad metam felicitatis ſuæ, peccare potuerit; facillime demonſtrarem, niſi foret neceſſe in res Theologicas, ab eo, quod propoſuimus, aberrantes, excedere, & progredi in ejuſmodi rerum Tractationibus fraudi eſſet illis, quas præ manibus habemus: perbreve enim præfinitum tempus nobis eſt. Sint hæc obiter di-

Digitized by Google

dicta: ſeria enim horum diſputatio nimiam & in vocibus accurationem requirit, & in Theologicis diſciplinis peritiam; & facile non magni ſpiritus Hominibus eſſet ſcandalo philoſophicus de his ſermo; maxime ſi ideas, quibuſcum eum conſerant, numquam comparaverunt in Theologia Patrum. Regrediamur ergo, unde diſceſſimus, & ad propoſitum accedamus.

Præter eas motiones, quæ in noſtris inferioribus facultatibus ex confuſa, indigeſtaque congerie ſenſationum excitantur; exuberat quoque in nobis, ſupraque modum progignitur ex eadem ægritudine, & ignorantia Naturæ quædam acris, & cruda materies, quam ſperma dicimus, unde ortum habet concupiſcentia. Non quod equidem rear integræ Naturæ repugnaſſe ſpermatis procreationem, quod utique Generis propagationi naturali neceſſitate inſervit. Sed nullo infecta vitio Natura, & ſuis integerrime conſtans viribus, & facultatibus omnibus inter ſeſe rectiſſime temperatis, acrem hanc materiem eatenus modo producere debuiſſet, potuiſſetque, quatenus neceſſaria fuiſſet generationi, a ſumma certe Ratione imperatæ, Deo ſcilicet per ſenſum intimum facultates movente. Concupiſcentia ergo eſt motus quidam, qui non in mente oritur, ſed ab ea quam longiſſime in inferiori parte; imo eſt tumultus, qui ſuo calore, & impetu ab acri materia excitato ſanguinem omnem, ſpiritus, cartilagines noſtri Corporis, & ipſa oſſa incitat, atque inflammat, ita ut mille intus motiones expergefaciens, & celeriter agens, quadam veluti nube, ſpiſſis contexta motibus, lumen Rationis offundat. Quæ quidem materies, ut quæ in Natura ſupereſt, & abundat ex redundantia cibi, ac potus, quemadmodum illi moleſta eſt, ejuſque turbat functiones acri ſuo ſtimulo; ita in motibus, quos, ut egrediatur, excitat, quia quodam extraneo levat Naturam, fit, ut Natura percipiat voluptatem; & cum Pars Inferior tota per ipſam moleſtiis affecta ſit, hinc plena, & per totum percipitur voluptas: quod eſſe non potuiſſet in Natura integra, cum ſatis validæ, compactæque partes omnes Corporis nullum ſenſiſſent ex acri ſtimulatione incommodum, nec proinde voluptatem ex ſegregatione materiæ hujuſce, modicæ admodum, atque ad neceſſitatem ſolummodo procreatæ.

Diximus acrem hanc, crudamque materiem exuberare in nobis ex ignorantia, & imbecillitate Naturæ; quia ſi Homo bene cognoſceret, quæ cibi quantitas neceſſaria eſſet ſupplemento quotidiani defectus, & nutritioni; quæ qualitas apta diverſis conſtitutionibus Corporis; & ex alia parte ſi ſatis eſſet virium in ventriculo ad atterendum perfecte, & coquendum, quod in eo naturali neceſſitate reponitur; non eſſet in nobis hæc nutritionis exuberantia, & cum ea Partis Inferioris incitationes ex corruptione, quæ veteri, vulgatoque nomine ſemen genitale appellatur; quod indicium eſt ſatis manifeſtum, omnibus ſemper Hominibus per-

Digitized by Google

perſuaſum fuiſſe, non Naturæ etiam integræ, ſed ejus vitio, & infirmitati tribuendum, quod ab hujuſmodi materie incommodi experimur.

Itaque cum concupiſcentia ſit motus oriens in inferiori facultate, qui ad inhærendum cæco impetu Creaturæ Hominem incitat; non eſt certe motus immediate manans a Deo, ut a primo, & immediato motore moralium actionum. Rectæ actiones ex interioribus Animæ receſſibus ſupra Mentem initium ſumunt: illæ per noſtras facultates progrediendo viſibiles fiunt, & proferuntur, ut diximus in Nota §. 41. Partis 2. Quæ in inferiori parte naſcuntur, e Creatura naſcuntur, & ad Creaturam ducunt: niſi quod hæ quoque poſtea ad Deum denique retortis itineribus deferuntur. Nam cum corruptio generetur a Natura; & cum Natura omnis tendat ad Deum; quodcumque ex ea manat, non poteſt id omnino exuere, ut tendat ad Deum, ejuſque gloriam proferendam. Sicut ergo ab lento motu Corporis originem ducit corruptio; ſic lento gradu fert ad Deum: unde quævis corruptio immediate quidem cauſa eſt inordinationis, mediate pergit in aliquem bonum finem. Ita corporearum rerum corruptio corpora ipſa, quibus ineſt, immediate deſtruit: ſed eo tandem venit, ut exordia tot Animalium foveat, quæ vitæ expertia propter Matris debilitatem remanerent: imo in eorum ſubſtantiam, & nutrimentum converſa putredo, nobilior evadit, & viva. Ita & corruptio, quæ fit in Homine, ſtimulo eſt ad conjunctionem, ad quam ex naturali ægritudine, & infirmitate facultatum, prout nunc præſens fert rerum ſeries, fieri non poſſet, ut veniret Homo; & onera nimis gravia, quæ ſecum fert Matrimonium, maxime Homines ab eo vitæ genere deterrerent. Ex imbecillitate corporum oriri corruptionem, admodum eſt perſpicuum. Imo quo imbecilliora ſunt Corpora, eo citius corrumpuntur. Nec minus obvium, apertumque, corruptionem utilem, ſed & neceſſariam eſſe ad vitam Animalibus tribuendam, inſectis maxime: nam ubi putre, tam ſubitus, & tam magnus vivificatur Animalium numerus, ut ſenſerint Philoſophi non pauci, corruptionem eſſe cauſam phyſicam Animalium genitricem.

Corruptionem eſſe argumento inordinatarum in Natura rerum, id æque perſpicuum. Res quæcumque debet habere ſuum finem; & finis rerum idem eſt, ac perfectio earumdem: & cum Natura venit ad finem, unde diſceſſerat, ſiſtit, & quieſcit. Jam vero corruptio non perfectio, ſed vitium eſt, & Naturæ cum perturbatione commutatio. In recto rerum ordine ad ſummum ex minus bona in meliorem, nobilioremque ſubſtantiam fieri tranſitus, & mutatio poteſt, non ut res corrumpatur, ſed ut in melius tranſmutetur. Itaque ubi nova quædam Natura ſumit ortum ex corruptione, non rectus ibi eſt, & integer ordo, ſed potius ordo ſecundus, & corruptus. Ex quo quidem erit admiranda etiam in hac rerum ſerie Summi Numinis Providentia, quæ ex ipſa ordinis in-

Digitized by Google

§. 11. Concupiſcentia incitat hominem ad malum morale.

D. Malum morale eſt actus ille voluntatis, quo recedimus a Deo, & accedimus ad creaturas ex §. 27. Partis primæ, quia natura humana unice tendit ad Deum ex §. 40. Part. 1. Concupiſcentia eſt appetitus inhærendi creaturæ medio concubitu ex §. 10. Par. 3. Appetitus eſt inclinatio animæ verſus aliquod objectum ex Pſychologia Empyrica. Ergo concupiſcentia inclinat animam verſus creaturas. Ergo verſus malum morale ex citato §. 27.

§. 12. Concupiſcentia ergo contra naturam rationalem eſt, ex §. præcedenti, & ex prima Parte §. 28. (1).

§. 13. Concupiſcentia ergò inordinatus motus eſt in natura rationali (2).

§. 14.

verſione, & corruptione novit quemdam alium educere ordinem: niſi enim hic ordo ſecundus ex inordinatione naſceretur, iret in confuſum omne, & in ea confuſione eſſet communis perditio univerſorum, & interitus. Sed ſatis jam in his perſequendis limites adnotationis exceſſimus. In Theologicis potius, & Philoſophicis, quas edere animus eſt, Inſtitutionibus ex ſuis hæc principiis evolvemus: & tunc nihil poſtulando, ut conſecutiones inconcuſſæ propoſitiones iſtæ deſcendent.

Ex his, quæ diximus, id maxime tenendum, concupiſcentiam eſſe motum Rationali Naturæ abſonum, & inordinatum, licet ſit novo ordini occaſio, & fundamentum, & in hac rerum perturbatione via naturalis ad Gloriam Divinam promovendam, ut infra videbimus.

(1) Concupiſcentia non eſt peccatum, ſed motus phyſicus inordinatus, ortum habens ex vitio, corruptione, & infirmitate naturæ, & per conſequens ex primi caſus labe, quæ origine, & generatione a nobis contrahitur. Concupiſcentia inclinat hominem, & trahit ad peccatum; ſed ipſa peccatum minime eſt. Peccatum enim eſt voluntatis cum inordinatione conſenſus; & ideo quoad voluntas non conſentit, & hanc inclinationem non ſequitur, nullum peccatum.

(2) Omnes motus in homine, qui ratione utitur, dirigendi, ut ſatis in parte ſecunda demonſtravimus, juxta naturæ ordinem, & ſucceſſionem facultatum; ut ſcilicet quævis ſenſatio feratur recta ad mentem, & quemadmodum mira eſt omnium rerum varietas, & unaquæque in ſuo eſſe diverſam aliquam perfectionis divinæ participationem complectitur, ſic ſemper mens divinæ alicujus perfectionis novam ideam acqui.

Digitized by Google

§. 14. Quo plures dantur, qui rectum de Deo, diviniſque attributis habent judicium, eo major erit Dei exiſtimatio: ſicut, quo plures dantur, qui rectum de Deo, diviniſque attributis judicium verbis, vel factis exprimunt, eo major erit laus, & honor divinus. Quo plures dantur, qui conſentiunt in laudando, & honorando Deo; eo major erit gloria divina ex primæ Partis §. 68. & ſeqq. (1).

§. 15.

---

quirat; & contra ex diverſis, quas mens intime ſentit, divinis impreſſionibus progrediendo per inferiores facultates novam aliquam perfectionem præbeat ſemper creaturarum intuitioni. Hic eſt proprius, & unicus appetitus, & deſiderium Naturæ; Deum ſcilicet cognoſcendi, & ejus gloriam exhibendi cæteris cognoſcendam. Si alius motus, aliud deſiderium ſit in Natura, quod a Deo non emanet, aut ad Deum recte, & expoſito ordine non perducat, imo ad adhærendum creaturæ trahat, motus eſt inordinatus: unde fieret, ut cum appetitu naturali eſſet alius appetitus, & deſiderium, quod concupiſcentia merito dicitur. Primus Appetitus Naturalis nuncupatur, quod a tota Natura expetitus; alter concupiſcentia, quod in eadem natura ſimul cum primo oritur. Huic ſecundo appetitui dederunt homines nomen concupiſcentiæ, & ſatis hoc nomine demonſtrarunt, appetitum hunc inordinatum habitum fuiſſe opinione communi: nam ubi una natura, ibi unus finis; ſi finis unus, unicus appetitus; ergo dari ſecundum in natura appetitum, idem eſt ac exiſtere in ipſa appetitum inordinatum, & naturali contrarium.

(1) Naturalis appetitus quærendi gloriam, & honorem alterius cum oriatur ex amore erga objectum, fieri non poteſt, ut quis veram habeat quærendæ gloriæ alterius ſollicitudinem, & curam, antequam ipſum amet: Lex tribuendi Deo honorem oritur ex lege ejus diligendi, ut fuſe in priori parte expoſuimus. Imo ne dici quidem poteſt, tribuere Deo gloriam, & honorem, eſſe legem a lege amoris diſtinctam; ſed potius naturalem amoris effectum, vel ſignum. Itaque ſi ad amorem Dei natura devicti non eſſemus; neque ad ejus honoris, & gloriæ propagationem quærendam, & amplitudinem teneremur. Contra quia ſemper Natura clamat, & excitat nos ad Deum amandum; ſemper ejus gloriam quærere, & curare debemus; atque ejus honorem, & gloriam non proferre indicio eſt, non vere, & ex corde a nobis amari. Cum igitur deſiderium quærendi honorem alterius adeo natura ſit cum amore conjunctum; vanum eſt, ſi quis putet ſe legem implere, laudes, honorem, & gloriam Dei quærendi, ſi non amet; ſicut vanum eſt, ſi

§. 15. Nequit homo habere rectum de Deo, diviniſque attributis judicium &c. niſi exiſtat.

§. 16. Exiſtentia hominis haberi nequit ſine generatione; hæc autem ſine Concupiſcentia (1).

§. 17.

quis putet ſe amare Deum, & laudes, & honorem ipſi minime tribuat, vel gloriam ipſius pro viribus non promoveat. Amor novit optime omnes curandæ gloriæ, laudis, & honoris opportunitates; nec poſſunt omnes officii hujus actus externa lege contineri: non enim poteſt lex ad individuum quemque, & tam varias cujuſque rei conſtitutiones deſcendere. Id ad ſummum monere externa lex poteſt, quibus caſibus contra naturalem legem peccemus generica quadam denotatione, non autem actus ſingulos, & individuos notare, & complecti. Solus amor fidus eſt legis hujus interpres: amori ſoli legis hujus eſt rejicienda explicatio.

Quod hactenus docuimus, juvabit ad ea, quæ de Matrimonio infra dicemus, illuſtranda. Cum illud quoque ſit actio hominis, & omnes hominis actiones ad Dei gloriam, & honorem ſint dirigendæ, fruſtra putet ad gloriam Dei huic vivendi conditioni ſe quiſquam dediſſe, niſi magnus in eo reſideat, & totum obtineat divinus amor: imo cum in hoc vitæ genere neceſſario debeat intereſſe concupiſcentia, ut conditio ejus eſſentialis, quæ magnopere allicit, & trahit poſt ſe hominis naturam, naturale, ac probabilius ſignum eſt, ab ea motum, ductumque huic vitæ ſe devoviſſe, qui Deum impenſe non amat, non vero gloriæ Dei ſtimulis, & ejus honoris, atque amoris. Cujus in animo nequaquam regnat hic amor, nec poteſt illum urere deſiderium quærendæ divinæ gloriæ. Ex alia ergo cauſa, cur id ſit electum vitæ genus, repetendum. Plerumque ſunt ſtimuli concupiſcentiæ: unde eſt neglectus quotidianus, cum magno Reipublicæ, tum Chriſtianæ, tum Civilis diſpendio, cæterorum officiorum, educationis nimirum, quæ propius divinam gloriam promovet & auget.

(1) In ordine præſenti naturæ eſt phyſice impoſſibile, hominem dare ſe generationi ſine præſenti ſtimulo concupiſcentiæ. Poteſt homo, imo debet ad eam motus ratione, ac Religione accedere; ſed actus exercitatio non poteſt non eſſe concupiſcentia; quæ ne modum excedat, regenda ratione; & certis limitibus circumſcribenda. Concupiſcentia eſt deſiderium adhærendi creaturæ: deſiderio præcedat opus eſt idea objecti deſiderati. Itaque ad generationem proponenda oculis idea creaturæ; imo ejus corporis. Si ante oculos cognoſcitivæ facultatis eſt idea materialis; tunc homo non eſt in mente, non eſt converſus ad Deum. Sentire actu

Digitized by Google

§. 17. Antequam Anima ad mentem, ſeu cognitionem Dei vivam perveniat, opus eſt, ut nutriatur cibo corpus ex §. 5. Part. ſecundæ, ut conſervetur ſanitas ex §. 7. ejuſdem Partis: ut repellantur, quæ ſanitati officiunt, ex §. 8. ſecundæ

---

actu Deum, & actu concupiſcere, duobus e regione diſſitis terminis opponuntur. Actualis Dei, rerumque divinarum meditatio, eſt veluti aqua, quæ præmit, & diluit omem ignem concupiſcentiæ; & actualis concupiſcentia eſt ignis, qui omnem adurit aquam intelligentiæ; eſt nubes, quæ tenebris offundit lumen rationis, & aufert ab oculis veram ideam creatoris, ſeu ideam vivam, & ſpiritualem, non impreſſam, ac materialem.

Si per actualem divini amoris exercitationem haberetur generatio, genitus ex ea eſſet quidem ſanctus, & filius Dei, quia genitus ex voluntate divina. Si per actualem exercitationem amoris rationalis haberetur, genitus eſſet homo, quia natus eſſet ex voluntate viri. Si vero per actualem exercitationem concupiſcentiæ; genitus tunc in peccato, ſeu peccator, quia ortus ex voluntate carnis. Conceptio per Spiritum Sanctum, Sancta; per Rationem, Rationalis; per concupiſcentiam, Carnalis.

Hic autem ne ſit locus errori, diſtinguendum: ſi qua mulier conciperet per Spiritum Sanctum, actio ſancta eſſet, & genitus Sanctus: ſi per ſolam rationem, actio eſſet rationalis, & filius homo rectus: ſi vero concipiat ad explendam concupiſcentiam, actio eſt carnalis, & in peccato, filiuſque carnalis, atque peccator. Si qua vero velit ducta ratione concipere; cum id haberi ſine concupiſcentia, tanquam naturali ad eam via, nequaquam poſſit; genetrix tunc non peccat, licet actus ſit carnalis; ideo qui genitus, cum neceſſario ortum ducat a concupiſcentia, ipſe quoque eſt carnalis. Concupiſcentia in ſeipſa eſt defectus rationis, & carnalis, etſi a generantibus ratione regatur; non ſecus ac equus, licet ab equite regatur, non ideo deſinit eſſe equus. Peccatum in ſeipſo eſt defectus rationis. Hic defectus ſi cognoſcatur, & ſit voluntate poſitus, pœna dignus; ſi ex natura oritur, & dirigatur ad bonum finem, non deſinit eſſe defectus rationis, ſed non pœna dignus. Peccatum, communi, obvioque ſenſu, eſt defectus, quem voluit voluntas, & ideo pœnam mœretur. Non ideo tamen concupiſcentia non dicenda in proprio ſenſu peccatum; imo dicendum, concupiſcentiam generantium eſſe in ſeipſa peccatum, etſi peccantem non faciat voluntatem, ſi ab ea regatur ad rectum finem; & hic mihi videtur eſſe verus effati Davidici ſenſus; *Ecce enim in iniquitatibus conceptus ſum; &*

in

dæ Partis: excolantur Senſatio, Attentio, Reflexio, & cæteræ Analyticæ facultates ex §. 47. ejuſdem Partis. Sicut & facultates Sintheticæ ad manifeſtandam gloriam divinam, ex §.57. par. 1. Uno verbo opus eſt, ut excolantur, Voluntas, Mens, & Corpus.

§. 18. Cum autem hæc omnia ſibi præſtare non poſſint infantes, & pueri uſque ad certum tempus; hinc qui ab ipſis obtinere vult, ut Deum cognoſcant, & ipſius laudem verbis,

---

in peccatis concepit me Mater mea, hoc eſt in actibus concupiſcentiæ. Non dixit: concepit me mater peccans, vel conceptus ſum in iniquitatibus matris meæ.

Concupiſcentia ergo in hoc ſtatu rerum eſt via neceſſaria ad generationem. Cocupiſcentia eſt obnubilatio, & cæcitas intellectus; eſt actus confertus, plenuſque tenebrarum, per quem, & in quo ortum habet homo. Mirum itaque non eſt, ſi filius tenebrarum, & ignorantiæ naſcatur homo, cujus anima, & corpus occaſione, ſicuti cæteri effectus naturales, a Concupiſcentia originem ducunt. Quilibet effectus qualitates cauſæ ſecundæ in ſe attrahit, licet verum Eſſe ab ipſa non recipiat, nec realiter producatur, in quo ſtat ordo naturæ. Concupiſcentia actus eſt, qui convertit, & mergit hominem in creaturam; aufert ex oculis ejus in actuali exercitatione ideam vivam Dei, operiendo eam, ut ita dicam, & opprimendo tenebris ſuis, quas ſpiſſiſſimi, & confertiſſimi motus ejus, ut ſupra dictum eſt, inducunt. Quid igitur admiremur, ſi ex ea genitus ad creaturam converſus naſcatur, & non ad Deum; ſi in eo idea Dei obruta, velut nube obdormiat, & inter tenebras ignorantiæ obvoluta langueat? Porro converſum eſſe ad creaturas, & non ad Deum, eſt certe peccatum. Genitus ergo qui ad creaturas converſus eſt, non ad Deum eſt vere peccator. Concupiſcentia eſt peccatum ex natura potius oriens, quam ex voluntate generantis. Genitus oritur converſus ad creaturas, nec ulla mentis facultas reſpicit in Deum, non propria voluntate, ſed quod ita tulit ejus origo. Itaque is eſt non voluntate peccator, ſed origine, ſed natura, uti poſt Auguſtinum maxime, omnes loquuntur Theologi. Exequerer nunc omnes originis hujus effectus, niſi opus eſſet ſimul ingredi in ordinem Gratiæ, & elevationis, rem tam ab iis, de quibus agimus, diſſitam. Cæterum de his jam fuſe in Theologico ſimul, Philoſophicoque noſtro ſpecimine diſſeruimus; ubi cur hac lege generatio fiat, expoſitum; ubi & animæ, & corporis origo, ni fallor, dilucide perſpecta.

Digitized by Google

bis, ac factis exprimant; hæc omnia ipſis præſtare debet.

§. 19. Ad augendam igitur gloriam divinam, divinumque cultum, requiritur Generatio, cultus Corporis, Mentis, & Voluntatis (1).

§. 20.

(1) Non ſtatim ac homo per generationem extitit, cognoſcit ſubito Deum: multo minus ideam Dei ſeu actione, ſeu vocibus profert. Nondum enim evoluta eſt Ratio. Concupiſcentia, ſi pſychologice conſideretur, eſt cognitio merſa in ultimis Phantaſiæ regionibus, ſcilicet in tactu, imo paſſim in totum fuſa corpus; quia tactus ſenſus eſt omnibus amplior, & potentior, imo per omnes cujuslibet ſenſus partes perfuſus, & extenſus. Unde ratio, quæ in mente ſita eſt, etſi non extincta, obnubilata nihilominus remanet, & inter denſiores, quæ poſſunt umquam accidere homini, tenebras caliginis obruta. Hinc fit, ut generatio ferat ſecum rationis totius involutionem, & penæ interitum. Corruptio eſt evidentius indicium, & exercitium ægritudinis, ac debilitatis corporis: & quo magis debile corpus, eo proclivius ad concupiſcentiam: ex qua cum habeat exordia genitus, trahit per conſequens magnam egritudinem membrorum, qua fit difficilior evolutio rationis. Concupiſcentia poſita eſt in tactu, in ultimis, ut diximus, Phantaſiæ regionibus; ſeu ut melius dicam, in imo corporis, atque ſenſus. Unde infans cum tactu ſolo oritur; ſolam ex rebus impreſſionem, ac ſenſationem patitur; non habet apprehenſionem, & multo minus poteſt attentionem ſuper objecta exercere. In debili corpore, quo citius admittitur ſenſatio, eo facilius vi elaſtica effluit, & perit: Corpus ſolidum, etſi non facile accipit ſenſationem, tenaciter tamen ſervat. Ut evolvatur ratio, ut vidimus, ubi de cultu mentis, neceſſe eſt primum retineantur ideæ. Itaque, ut incipiat ſibi proponere, & explicare ideas puer, curandum prius, ut illi ſolidetur per aptum, opportunumque nutrimentum fibra corporis. Qui cupit augere gloriam divinam opus eſt inſtet cum cura in membris geniti firmandis, & prout idearum tenaciora fiunt veſtigia, conetur expedire rationem. Senſationes ex ſe pueri habent: limitari ſolum poſſunt, in determinatis, eas circumſcribendo, objectis, quæ propius ad rationis explicationem perducant. Et cum objecta, quæ eos ſemper circumſtant, ſint Genitores, & domeſtici, & res familiaris; patet neceſſitas cavendi, ne quid loquantur, agant, aut indicent, & ne minimum quidem, quantum potis eſt, domi retineant, quod non redoleat Religionem; quod fieri, niſi pii vere, & animo ſint, non poteſt. Hinc duplex eluceſcit conjugatorum officium excolendi pietatem, & perfectionem, ut ſuæ ſcilicet, & filiorum conſulant felicitati.

Ex-

§. 20. Qui igitur conſentiunt in generationem, ut præſtent ulterius generato cultum Corporis, Mentis, ac Voluntatis, ad augendam Gloriam Divinam conſentire videntur.

§.21.

Excitabitur in pueris apprehenſio, ſi curemus, ut objecta ab iis, quæ rem circumſtant, ſegregent, & amoveant: quod commodum erit, ſi, cum res indicabimus, ideas nominum apponemus, aut ad nomen, quæ res ei ſubiicitur, offeramus. Res in ſe non complectuntur nomina, nec nomine res continetur: nomen nexu mere extrinſeco rebus adjunctum. Ita fiet, ut objecta alterum ab altero ſeparentur, & ſolum in ſeipſis circumſcribantur; unde non parum mentis confuſioni medebimur. Attentio, ſi curam eorum animo, & ſolicitudinem ingeramus, in hac, aut illa objecti parte, boni aliquid inveniendi, vel mali: ita mens aſſueſcet contrahere in unum cognitionem ſua natura pererrantem. Sic deinceps cæteris ſubveniendo facultatibus ad veram rationem rerum, hoc eſt ad ideam vivam Dei, puerum perducemus.

Quod ad alimentum attinet, natura, ut obveniat ignorantiæ matrum in conquirenda qualitate cibi, & inopiæ illum præſtandi, petendique undecumque poſſit haberi, una cum genito edit in matre primum, ac proprium infantium nutrimentum. Ne vero progrediar in rem ab his, quæ eſt præ manibus, diſſitam, cujuſmodi eſt educatio puerorum, labor multus & cura genitoribus impendenda eſt excolendis corporibus puerorum, ac mentibus, ut finem a natura intentum conſequantur, qui eſt gloria divina, & filiorum felicitas. His officiis, & laboribus ſi genitores ſe ſubducant, præterquam evidens, & apertiſſimum eſt indicium, ad ſolam luxuriam hoc delegiſſe vivendi genus; cauſa quoque eſt, cur pueri ab nobilitate ſanguinis, & qua nati fuere conditione degenerent. De nobilibus loquor, penes quos jam communis horum officiorum incuria, & immunitas, tanto Religionis, & ſui generis detrimento. Nobilitas ex magnitudine mentis oritur, vel, ex magnitudine cordis; ex illa manant alta conſilia, quibus moneantur, atque regantur populi; ex hac propria Heroum, magnaque geſta, quibus omne detrimentum a patria depellatur, juventur, atque ſerventur cives. Magnitudo conſiliorum cura e Spirituum, & ſanguinis conditione proveniat, magnitudo cordis e conſtructione, & natura ſolidorum, & vulgo credatur, ambo hæc in filios per generationem transfundi, hinc communi creditum opinione derivari, ac deſcendere nobilitatem in poſteros. Hæc ſemina magnarum cogitationum, hæc in ſanguine, & corporis ſtructura, elementa virtutum, quæ ſuo in ſinu continet natura, educatione excitantur, & ſtabiliuntur. Si vero aliæ dent pueris, præter quam eæ, quæ genuere, nutri-

Digitized by Google

§. 21. Finis ex nexu mediorum ad praxim reducto reſultat: ſeu eſt Phænomenon Mediorum (1).

§. 22.

---

trimentum, ipſo lactis alieni hauſtu vertitur in aliud naturalis conditio ſanguinis, ac ſpirituum. Ac primo idearum impreſſiones ex varia variorum conſuetudine nullo diſcrimine habitæ, quæ tam arcte pueris, & tenaciter defiguntur, ut abiici toto vitæ tempore ſine magna ſaltem difficultate nequeant, opprimunt primordia virtutum: nutricum, & incultorum hominum conſuetudines grandium corda deiiciunt; appetitus educantium tranſeunt in educatos; opera educantium norma ſunt, ad quam dirigunt actiones, qui educantur. Si poteſt nobilitas in hæreditatem deſcendere, ſanguine opus eſt, & educatione deſcendat: ſed & ſanguis, & educatio, niſi nutriant, & curent proprios quiſque filios, degenerant. Sed quoniam ſanguis, & ſpiritus, & ipſum quoque ſolidum corporis, in generatione, mille alterationibus, & vitiis eſt obnoxium; ita quoque educatio. Hinc fit, ut non ſemper ex nobilibus ipſis nobiles nati deſcendant; imo fere faſtus, ſuperbia, otium, & tot rerum implicationes, quæ comites ſunt alto loco conſtitutorum, omnem auferunt nobilitatem. Tutius ad rempublicam, ut fuit mos Ægyptiorum, ibi ponere nobilitatem & iis deferre honorem, ubi cogitandi ſublimitas, ubi cordis magnitudo invenitur, quocumque in cætu, quacumque in arte, quacumque in domo. Ita ſemper erunt reipublicæ Moyſes optimi legibus ferendis; optimi Davides ad patriam defendendam, fugandoſque hoſtes; optimi Cicerones ad orandam ſalutis publicæ cauſam. Ideam fovere nobilitatis divitiarum continuatione, & honorum gratuita collatione, idem eſt, ac in ſinu reipublicæ fovere luxum, otia, impotentem ſuperbiam, præjudicia, quibus præoccupati, qui nobiles cenſentur, ſe homines exiſtimant cæteris hominibus diſſimiles. Quidquid virtus non eſt, nobilitas non eſt: eſt ludus fortunæ, eſt ſatuitas hominum ſenſus nullius. Hæc ſcire, & eadem pueris edocere, pertinet etiam ad rectam ipſorum educationem.

(1) Finis naturalis rerum non eſt quid diverſum a congerie mediorum omnium; imo phænomenon eſt mediorum ipſorum: atque media non aliud ſunt, niſi cauſarum continuatæ actiones, vel iteratæ. Finis naturalis ignis eſt urere, & uſtio nihil aliud eſt, niſi continuata ignis actio, & phænomenon, quod ex tota continuatione actionum ignis reſultat: & hæc individua determinata uſtio eſt, quod e tot illius determinati ignis determinatis actionibus factum eſt; niſi quod, primæ & minus compoſitæ actiones rerum, cum ſenſu percipi minus poſſint, & iteratione ſui ſenſibiles fiant, actionem eam, quæ jam ſenſibus patuit, finem dicimus; aut cum eo proceſſit actio, ut, quod ex ea ortum eſt, ſufficiat nobis ad naturalem, aut civilem uſum. Natura vero in qua-

§. 22. Ad generationem requiritur corporum conjunctio; ad cultum Corporis, ac Mentis, requiruntur labores, & bona.

§. 23.

cumque ſua actione ſuum aſſequitur finem. Quælibet enim actio ab altera distinctam obtinet exiſtentiam: ſi diſtinctam obtinet exiſtentiam, terminum inter utrumque intercedere opus eſt: ſi terminus intercedit, finem ſuum obtinet quælibet actio. Quod autem nos finem dicamus id, quod ex omnibus mediis, aut actionibus ortum ſit, id hominum ignorantia, vel cupidinibus factum eſt. Ignorantia quidem; quod deprehendere neſcimus inſenſibiles actiones naturæ, & per conſequens finem actionis cujuſque ab ea indiviſum. Tunc enim finem naturæ cognoſcimus, cum, ingeminante natura ipſa, vel per confertam nimis actionem, vel per continuationem, actiones ſuas, ſenſibus ipſæ noſtris in aliquo objecto incurrunt. Cupidinibus vero, quod, cum e natura illam actionum feriem, quas non poteſt, vel non vult educere, expectamus; id, ut naturæ finem, ex noſtra imaginatione comminiſcimur, quod placet nobis, & uſui eſſe credimus. Homo itaque compos rationis id ſolum curare debet, ut naturæ ſuæ convenienter agat: quod ſi continue urgeat, finem ſuum continue conſequetur. Nec curandum quinam ex commixtione ſuarum cum actionibus aliorum, ſeu liberorum, ſeu neceſſariorum entium, exitus veniat, aut phænomenon. Quod non pendet a nobis unquam finis noſter: finis ſolummodo cupiditatum eſſe poteſt, & concupiſcentiæ noſtræ. Indicium eſt evidens commixtam in actionibus cupiditatem eſſe, ſi ubi, quam debuimus, operam collocavimus, rem tamen ad exitum optatum minime perductam arbitrantes animo angamur, nec ſimus tranquilli.

Norma hæc, quam ad fines expendendos rerum Ontologia præbuit, erit ad actionum bonitatem, vel malitiam in conjunctis matrimonio decernendam dux certiſſima. Sanctitas filiorum non omnino ex eorum actionibus pendet: filiorum ipſorum, neceſſe eſt ad id accedat voluntas; cultum vero præſtare mentis, & voluntatis, atque corporis totum in parentibus eſt: & cum omnem in eo poſuere ſolertiam, ac diligentiam, finem ipſi proprium jam conſecuti ſunt. Cum vero finis intrinſecus ſit actionibus, ſi videantur tam citi ad generationem, & ſolliciti, ad cultum autem filiorum mentis, & cordis moveri nihil, aut parum, evidens, maniſeſtumque eſt, finem eorum eſſe vel ſolam concupiſcentiam, vel hanc primario intentam. Itidem ſi plus, quam neceſſe eſt matrimonii uſui vacent, aut quo tempore ſciant venire non poſſe ſobolem, aut ſi veniat, corruptam tamen, & non ſinceram fore conſtructionem, clarum tunc, ſolum finem actionum eſſe concupiſcentiam. In ea enim deſinunt actiones, nec ultra pergunt. Contra qui quærit glo-

Digitized by Google

§. 23. Qui in finem conſentiunt, in media conſentire debent ex §. 21.

§. 24. Ubi ergo duo eumdem indiviſum finem obtinere cupiunt, media pro viribus quiſque, & ex animo debent conferre.

§. 25. Ac proinde in Matrimonio corpora, labores, & bona conferre debent ex animo ex §. 22. atque confundere; quia ſine horum confuſione perfecte finis obtineri non poteſt (1).

§. 26.

---

gloriam divinam, concupiſcentiæ tantum, quantum ſatis eſt generationi, vel invitus indulgebit: ceſſabit vero nunquam, quantum in ipſo eſt, ſanos de Religione ſenſus filiis imprimere, nec quieſcet, donec ſui operis fructum, debitas nimirum Deo laudes, debitos honores e filio non eduxerit.

(1) Cum meta, & terminus matrimonii ſit unus, individuusque finis, nempe ut ex procreatione liberorum gloria Dei, & felicitas eorum habeatur; cui rei neceſſarium eſt, ut ii alantur, colantur, & tot curæ, & labores, quot ſecum importat eorum educatio, & ſuſtentantio adhibeantur, clarum eſt in matrimonio opus eſſe, ut corpora, curæ, labores, & omnia bona ſint promiſcua. Quod ad commixtionem corporum, fert illud ipſa generationis natura. Quod vero ad laborum, & bonorum communionem, oritur ex eo quod cum ambo vi Religionis ad eumdem finem individuum ſincere, & ex animo ferri debeant, quiſque eorum quantum in ſe eſt, omnem ſuam operam, & ſtudium debet conferre in hunc finem. Sed illud præterea hujus conjunctionis proprium, ac peculiare eſt, quod corpora, bona, labores non modo conjungantur, ſed ita veluti in unum coaleſcant, & confundantur, ut nulla poſſit dari realis diviſio. Cujus rei ratio eſt, quod omnes eorum actiones, bona, alimentaque ex bonis provenientia hunc tantum finem reſpicere debent, in hoc uno verſari: ideo unus, & indiviſibilis eſt omnium bonorum, corporum, & laborum effectus. Et cum non ægrè, & ficte, ſed omni vi, & ex animo debeat quiſque eorum ad hujus veluti fructus maturitatem concurrere; fieri nequit, ut in eo ſuam quiſque operam ſejunctim ab alio collocet. Mille enim inter eos ex ipſo matrimonio ſequuntur mutationes rerum, & corporum. Ex generatione male ſe habet, & in deteriorem ſtatum commutatur corpus matris, non ita patris: ab ea deinde lac puero & potior cura præbenda; quo fit, ut mulier nec ad rem familiarem, aut adminiſtrandam, aut augendam, nec

 ad

Digitized by Google

§. 26. Ex conjunctione corporum efficitur una caro: ex conjunctione corporum, bonorum & laborum individua efficitur vitæ conſuetudo.

§ 27. Ubi datur conjunctio corporum, laborum, ac bonorum propter eundem finem datur vinculum animorum.

D. Vinculum rerum ſpiritalium eſt tendentia duorum, vel plurium in eumdem finem ex §.18. primæ partis. Ergo ubi duorum voluntates miſcent corpora, labores, ac bona propter eumdem finem; vinculum animorum dari neceſſe eſt (1).

§. 28.

---

ad ſui ipſius ſuſtentationem operam dare poſſit. Ne plura dicam, ſi quis converſis ad experientiam oculis, & ſine partium ſtudio conjugum ſtatum, & conditiones conſideret, clare perſpiciet, poſcere, non modo conjunctionem corporum, laborum, & bonorum, ſed quod pluris eſt, eam omnium rerum commixtionem, ut quiſque eorum debeat æque habere ut rem ſuam, & fructum, & bona, & corpora. Unitas finis natura ſua confundit in unum media, ut haud deinde poſſint dividi; loquimur hic de diviſione naturali, non de civili; aut ſi dividi poſſint, ſolvi nunquam. Solutio enim naturalis, non civilis a diviſione in eo differt; quod in ſolutione quæque pars ad ſuum ſtatum nulla ſui diminutione redit: ita ſolvitur index horarum, exercitus, ſocietas: quod fieri in matrimonio nunquam poteſt: diviſio fieri poteſt cum colliſione & alteratione partium. Sed inſolubilitas matrimonii fuſius in jure Politico pertractanda.

(1) Omnes homines interius ſunt conjuncti; quia omnes, idem primum, & individuum eſſe participant. Conjuncti etiam ſunt exterius, quia eodem fine colligantur, qui eſt felicitatem in Deo aſſequi. Vinculum interius efficit natura, exterius religio. Non quod quid exterius homini ſit religio; ſed quod cum ex intima natura teneatur aſſequi felicitatem, omnes ſuas actiones, quæ exteriorem naturæ partem efficiunt, debet ad hunc finem redigere; proinde pars exterior hominis, uno, eodemque Religionis vinculo continetur. Quia vero hic idem omnium finis infinitis conſtat attributis (quæ ſunt veluti tot externæ ſignificationes unius infiniti, incomprehenſibilis eſſe, quibus homini ad ſe iter oſtendit, & ad ſui conſecutionem allicit facilioremque interioris officii viam nobis reddit) illud ſequitur præter generale, & commune omnibus vinculum, dari poſſe ſingularia quædam, & quæ proprie ad quemvis pertinent, vincula Religionis. Quiſque enim, pro ut hoc potius, quam alio modo primum eſſe participat, ita interius ad unum potius quam ad aliud attributum ejus fertur; quæ inclinatio interior ex diverſa ejuſdem

eſſe

Digitized by Google

§. 28. Conjunctio corporum laborum, ac Bonorum ad augendam gloriam divinam, unde individua vitæ conſuetudo reſultat ex §. 26., par. tertiæ dicitur Matrimonium.

§. 29. Matrimonium eſt officium Religionis.

D. Proferre gloriam divinam eſt officium Religionis ex §. 84. primæ partis. Matrimonium eſt coujunctio corporum, laborum, ac Bonorum ad augendam gloriam divinam ex §. præcedendi. Ergo Matrimonium eſt officium Religionis.

§. 30. Cum corpora miſceantur ad generationem; hæc autem haberi nequeat ſine concupiſcentia ex §. 16. par. tertiæ Hinc Matrimonii exercitium ingreditur concupiſcentia.

§. 31. Generationis exercitium non perfectum, non bonum, ſed licitum eſſe poteſt.

D. Generationis exercitium haberi nequit ſine concupiſcentia ex §. præcedenti: Concupiſcentia inordinatus motus eſt in natura rationali ex §. 13. par.tertiæ. Cum autem actionem ingreditur aliquis actus natura ſua inordinatus, tunc actio licita eſſe poteſt ex §. 5. par. tertiæ; ergo generationis exercitium non perfectum, non bonum, ſed licitum eſſe poteſt.

§. 32.

---

eſſe participatione orta, naturalem cujuſque genium efficit ex nota §. 34. ſecundæ partis. Oritur ex eo, ut quiſque uno potius, quam alio divino attributo trahi ſe, & allici ſentiat, unde conſequitur., eos, qui eodem attributo ad conſequendum hunc finem moventur, præter generale, & commune, alio quoque, & peculiari ejuſdem Religionis vinculo contineri. Ita ii, qui naturæ rationalis, non ſenſus inclinationem ſequentes matrimonio conjunguntur, uno, eodemque vinculo amplificandæ divinæ gloriæ ſociantur. Mihi ſemper non ſine animi dolore multo venit in mentem eorum ſententia, qui putant matrimonium, eſſe ſolum officium naturæ; cui tanquam quid inſitum, & adſcititium ſit Religio. Unde ducunt, ſi quis in matrimonio poſſit implere ſolum naturæ officium, non Religionis, poſſe ſe matrimonio conjungi: ita ſolius naturæ officium, religionis, officio præferendum. Religio eſt anima unica, & moderatrix naturæ; quæ movet eam ad agendum ad ſe tantum; quilibet ſtatus hominis debet eſſe quoddam vinculum, & officium peculiare Religionis.

Digitized by Google

§. 32. In Matrimonio ergo actionum ſeries perfectarum neceſſario abrumpitur actionibus licitis.

§. 33. Cœlibatus eſt vitæ conditio Matrimonio abhorrens, ne concupiſcentiæ motibus coinquinetur.

§. 34. Cœlibatus ergo jure naturæ majorem perfectionem continet præ Matrimonio (1).

§. 35.

---

(1) Duæ ſunt opiniones de matrimonio longe oppoſitæ abſurdiſſimæ, quas ex una parte Montaniſtæ, Naturaliſtæ quidam ex alia protulerunt. Primi repugnans, oppoſitum naturæ ajunt eſſe matrimonium; ideo intrinſece malum: alii conſonum naturæ; ideo bonum; & intriſece malum non uti matrimonio. Peccatum ideo Montaniſtis eſt inire nuptias; peccatum quibuſdam Naturaliſtis non inire. Ut libere dicam quod ſentio; primi prudentia, ſcientia alteri peccaſſe mihi videntur. Primi ducti ſola ratione, quæ recto itinere fertur ad ſtatum naturæ integræ, corruptionem, quæ ſupervenit, etſi infecerit omnem humanam naturam, tamen non extinxiſſe bonum, & officium conjugalis ſocietatis animadvertere neſciverunt. Alteri hunc, in quo ſumus, corruptionis ſtatum, ut per ſe, & abſolutum, ac naturæ ingenitum eſſe putaverunt. Hinc primi concupiſcentiam propagationi ſervientem ut malam, & naturæ oppoſitam exiſtimantes matrimonium improbabant: hi congruam, & intrinſecam naturæ credentes, matrimonium eſſe abſolutum naturæ officium contendebant. Manichæi, qua ratione conciliari poſſit alter cum altero ſtatu, ſeu ſtatus naturæ integræ cum ſtatu naturæ corruptæ, cum non vidiſſent, in eum errorem lapſi ſunt, ut aliud numen in medium proferre non dubitaverint, cui concupiſcentiæ, malorumque aliorum omnium originem affinxerunt. Neque illud ſuſpicati ſunt, concupiſcentiam, ut quodcumque aliud malum, non eſſe, niſi quemdam defectum ortum ex infirmitate naturæ, qui non efficientem, ſed deficientem habet cauſam.

Diſtinguendum ergo in matrimonio id quod eſt proprium naturæ, & quod corruptio ſuperveniens intermiſcet. Natura, ut in limine prioris partis diſſeruimus, alium finem non habet, niſi ut aſſequatur Deum, & cum eo ſe conjungat. Medium, & via, quæ ducit ad hunc finem, eſt ejuſdem amor. Qui tunc ſe & profert, & aliis præbet, cum Dei gloriam, quantum poſſumus, amplificare conamur. Proinde ſi natura eſſet integra, quiſque ſane homo libere, ac ſine offenſione in itinere ſuo pergeret; creatorem ſuum amore proſequeretur, gloriamque illius, quoad ejus fieri poſſet, augeret; neque enim eſſet corruptio, aut cupiditas, quæ vitii aliquid in naturæ curſu interponeret. Facultates cujuſque na-

tu-

§. 35. Cum finis impoſſibilis dignoſcitur, ultimum in actione medium finis evadit.

§. 36. Ubi ergo prolis procreatio impoſſibilis dignoſcitur, concupiſcentia in generationis actione finis evadit.

§. 37.

turales omnem vim ſuam exererent, & quoad datum a natura eſſet, in ſuis functionibus libere proſerrentur. Idcirco medium proprium, & conſonum naturæ tunc eſſet ad gloriam divinam augendam, numerum adoratorum ejus ope generationis augere. Filii recens orti ſi nondum plenam, & perfectam Dei cognitionem, amoremque habere poſſent; ſed non debilitati corruptione ſine ullo impedimento in cognitione Dei creſcerent, prout ſeſe paulatim facultates naturales explicuiſſent; & ex quovis objecto, ſecundum eorum pulchritudinem, & varietatem, diverſas ideas divinorum attributorum hauriendo, cor eorum novo in dies amore erga ſuum Creatorem impleretur. In hoc rerum ſtatu veritus erat jure optimo cælibatus, qui naturæ officio, quod ſine labe, & imperfectione exercere poſſet, adverſaretur. Nunc vero corruptione qua fædata, & in pejus commutata natura eſt, in ea ſumus imbecillitate, ut non ſtatim, imo nunquam ex objecti ſenſatione, niſi multa vi, Creatoris noſtri ideam abſtrahamus. Eo tantum nunc fertur natura, ut in ſenſu quieſcat, immoreturque in ea voluptate, quæ prima ſe offert, & quam abſque vi, ac facile experitur. Novus ex eo oritur appetitus, concupiſcentiaque appellatur cum primo pugnans, qui fertur ad Deum. Qui quidem eo acrior eſt, & vehementior, quo majorem percipimus in rebus ſenſibilibus voluptatem. In hoc ſtatu adeo homo eſt infirmus, ut nunquam ad conjunctionem cum fæmina neceſſariam ad generationem veniat, niſi ante ſit incitatus, adjutus ſtimulis ſenſibilis, & omnium vehementiſſimæ voluptatis, quæ idcirco concupiſcentiæ nomen obtinet; niſi nube obducatur intellectus, aut ſaltem aliquanſum indulgeat ſenſui. In ſtatu integro adeo vigens erat natura, ut ad agendum nullo incitamento rerum creatarum opus eſſet, & in ipſo generationis actu non avertere oculos ab aliqua Dei perfectione poterat. Nunc dum cognitio lapſa eſt, & dedita in ſenſu, quam non rerum, & Dei oblivionem experitur natura? En quomodo nunc matrimonii uſus avertit hominem ab officio naturæ. En quam imperfectionem corruptio immiſcet in uſu matrimonii. Quæ quidem imperfectio ex corruptione orta, non id agit, ut non ſit licitum matrimonium: matrimonium natura ſua tendit ad gloriam Dei; ſed id tantum, ut ſeriem actionum perfectarum interrumpat. Doctiſſime explicat hoc Auguſtinus lib. de Nupt. & concup. *6.7.* contra Julianum exemplo ejus, qui ductus ratione, cum ire in locum aliquem ſibi

Digitized by Google

§. 37. Ubi procreatio prolis impoſſibilis, generationis actio contra naturam rationalem eſt.

D. Ubi procreatio prolis impoſſibilis, generationis actio concupiſcentiam habet pro fine ex §. 36. præc. Concupiſcentia con-

ſibi idoneum decreviſſet, id facere niſi claudicans non poſſet. Ire in eum locum, quamvis infirmo gradu, malum non eſt, imo bonum; ſolus pergendi modus imperfectus. *Proinde nuptiæ*, ait, *quia etiam de illo malo aliquid boni faciunt, gloriantur: quia vero ſine illo fieri non poteſt, erubeſcunt; tanquam ſi quiſquam pede vitiato ad aliquod bonum etiam claudicando perveniat, nec propter claudicantis malum mala eſt illa perventio, nec propter illius perventionis bonum bona eſt claudicatio; ita nec propter libidinis malum nuptias condemnare, nec propter nuptiarum bonum libidines laudare debemus.*

Sed, ne detur locus ſophiſticis intellectibus, omittamus ſtatum naturæ integræ, in quo creatus eſt homo; quem ſtatum non modo fides, ſed ratio etiam debet admittere ut in nota §. 10 par. 3. innuimus. Certum, exploratumque eſt, ut de eo ſtatu omittamus, finem alium non habere naturam humanam, niſi omnibus viribus tendendi ad Deum: Ex Prima Parte. Certum item, exploratumque in præſenti ſtatu dari matrimonium ſine actuali concupiſcentiæ exercitatione non poſſe: ex §. 16. par. 3. actualis exercitatio concupiſcentiæ ſine intellectus obſcuratione impoſſibilis ex §. 11. & ſeq. par. 3. Clarum ideo matrimonii uſum non eſſe actionem perfectam ex §. 31. par. 3. Quomodo ergo natura, cujus unica lex eſt perfectio, poteſt obſtringere matrimonio eos homines, qui, ut hanc imperfectionem aufugiant, invito ſenſu, & carnis illecebris, ab eo abſtinent? Oporteret, aut naturam ab ſe fædam hanc voluptatem avertere; aut ſi hanc vim non habet, nemini erit dubium, etiam ex lege naturæ, quæ poſtulat perfectionem, cælibatum eſſe perfectiorem matrimonio.

Non deſunt homini, ſi velit, etiam in hac corruptione, ad gloriam Dei augendam, & proferendam, viæ, & rationes, abſque eo quod nuptiarum inquinamentum ſubeat. Poteſt quiſque non parum ad id operæ adhibere in ſeipſo ſi incumbat, ut hæreditariæ contagionis lacrymabiles effectus ab ſe amoveat, ſi ſuam perfectionem, quod primum eſt naturæ officium, curet; in cognitione Dei creſcat, amore in eum, quantum poteſt, cor vivificet; & virtutum exercitatione defectibus, quos, ſi natura ſana eſſet, non haberet, medeatur. Non deſunt viæ ad divinam gloriam proferendam, ſi pravæ tot puerorum, & juvenum educationi pro virili parte occurrat: quæ tam communis eſt defectus parentum, dum aut immatura morte prærepti præcipuum matrimonii officium imple-

Digitized by Google

contra naturam rationalem eſt ex §. 12. part. tertiæ. Ergo ubi procreatio prolis impoſſibilis, generationis actio contra naturam rationalem eſt.

§.38.

---

plere non poſſunt; aut brutorum more hanc vitæ rationem ingredientes, ſicut equus, & mulus, quibus non eſt intellectus, nihil curæ ad tam ſanctum, & matrimonio eſſentiale munus adhibent. Quid prohibet, tot puerorum cæcas mentes, unde totius vitæ, atque officiorum omnium perturbatio ſequitur, ſanioribus præceptis Religionis imbuere? *Patet quippe*, ait Auguſtinus lib. 1. de Nup. & Conc. l. 13., *jam ex omnibus gentibus ſpiritaliter gignendorum, undecumque carnaliter nati fuerint, copia filiorum*. Quid dicam, quam multi Athei ſint, corde ſaltem? Quot Idolorum cultores, Politheiſtæ? Quot Deiſtarum, & Naturaliſtarum cæca dogmata impune voce omnium, & ſermone ferantur? En hic late patet campus, quo gloria divina amplificetur: en oblata in his facultas aſſequendi ſine ullo inquinamento cordis, & carnis, eum finem, quo tendit matrimonium. Anne ob carnis voluptatem, quæ in eo eſt, defenditur ab Naturaliſtis matrimonium potius, quam ad augendam Dei gloriam, cum tot ſint ante oculos homines, qui in tenebris jacent, & umbra mortis?

At ſi cælibatus in hoc rerum ſtatu perfectior eſt matrimonio, poſſet quiſque ſine culpa matrimonio abſtinere; poſſet propagatio generis humani deficere; nec damnandum eſſet, ſi vacuus, nudatuſque cultoribus univerſus terræ orbis linqueretur. Ut ingens abſurdum conſecutionem hanc obiici, legimus ſæpe, & audivimus. Mitto hic, num recte fluat: velim ſolummodo evolvatur. Ingens ergo abſurdum, ſi homines omnes nati ad id ſolum ut conſequantur ſuam felicitatem, quæ Deus eſt, ne in carne volutentur, & ſanguine inire nuptias reſpuant? Bona venia, ſi te hic appello, & tecum ſic agam Dive Paule. Videris enim in naturam admiſiſſe peccatum. Nonne ais, velle, cupere, omnes homines manere, ut te, cœlibes? Nonne mala deſideria, ut doces, ſunt peccata? Atqui peccatum eſt, ſententia horum, nuptiis non indulgere; en ergo malum deſideras, en peccatum. Neſcio, quo ore hujuſmodi Naturaliſtæ, qui ſe etiam Chriſtifideles putant, propoſitionem hanc efferre poſſint. Sed philoſophicè rem evolvamus. Prior ne eſt in natura lex perficiendi ſeipſum, an ſervandi ſuam ſpeciem? Natura primum reſpicit cauſam, inde effectum. Si ergo matrimonium opponitur perfectioni cauſæ, hoc officio eam eximat, neceſſe eſt. Natura deſiderat conſervationem ſpeciei; ſed deſiderium iſtud inclinationis antiquæ, quam habuit in primo ortu, cum integra erat, ſunt reliquiæ. Neque enim in medio

§. 38. Eunuchi ergo, & ſpadones, quos vel natura ipſa, vel hominum improbitas, vel caſus potentia generandi privavit, contra naturam Matrimonium inirent ex §. 37. præc.

§. 39. Effœta illa eſt, cui vis phyſica ad generandum defecit.

§. 40. Certo effætæ Matrimonium contra naturam rationalem eſt.

D. Certo effæta illa eſt, cui vis phyſica ad generandum de-

---

corruptionis proclivitates primo ingenitas poteſt oblivifci, & exuere. Superveniente vero concupiſcentia, & officio propriæ perfectionis cum lege ſecundaria, ſpeciei tuendæ, pugnante, nequaquam ut officium poteſt juberi matrimonium; quia potiori legi propriæ perfectionis opponitur. Imo felix dicenda eſſet natura, ſi curſum ſuæ generationis tam pulchro fine clauderet. Saniores longe eſſent homines, ſi, ne dent locum concupiſcentiæ, a qua furta, odia, bella, & cohors tot malorum terras obtinet, perverſitati, & corruptioni hujus ſæculi finem facerent. Auctor naturæ, potius quam indignetur, quod Patris perfectiſſimi, & in omnibus actionibus ſuis puriſſimi perfectionem ſequuti ſint, præmio afficeret. Suum deinde eſſet, ſi nihilo tamen ſecius genus humanum ſervare vellet, aut morari curſum concupiſcentiæ, aut alium edere mundum, in quo homines ſine corruptione propagarentur. Audi Auguſtinum lib. de bono Conjug. cap. 9. & 10. *Nunc vero* (ſcilicet poſt adventum Chriſti) *ad ineundam ſanctam, & ſinceram ſocietatem undique ex omnibus gentibus copia ſpiritalis cognationis exuberet, etiam propter ſolos filios connubia cupientes, ut ampliore continentiæ bono potius utamur admonendi ſunt. Sed novi qui murmurent: Quid ſi, inquiunt, omnes homines velint ab omni concubitu continere: unde ſubſiſtet genus humanum? Utinam, omnes hoc vellent dumtaxat in charitate de corde puro, conſcientia bona, & fide non ficta, multo citius Dei civitas compleretur, & acceleraretur terminus ſæculi. Quid enim hortari apparet Apoſtolum cum ait: cum inde loqueretur:* Vellem omnes eſſe ſicut ſeipſum 1. Cor. 7. 7. *aut illo loco* 29. Hoc autem dico, fratres, tempus breve eſt, ut & qui habent uxores tamquam non habentes ſint.... *Volo fratres vos ſine ſolicitudine etiam eſſe. Deinde ſubjungit, qui ſine uxore eſt, cogitat ea quæ ſunt Domini, aut quomodo placeat Domino, qui junctus eſt matrimonio, cogitat quæ ſunt mundi, quomodo placeat uxori &c.* Unde mihi videtur, hoc tempore ſolos eos, qui ſe non continent, conjugari oportere ſecundum illam Apoſtolicam ſententiam. *Qui ſe non continent, nubant, melius eſt nubere, quam uri.* Idem c. 13. 16. loc. cit. lib. 1. de Nupt. & Conc. c. 13. & alibi paſſim.

Digitized by Google

defecit ex §. 39. præc. ac proinde generatio prolis impoſſibili. Ubi generatio prolis impoſſibilis, generationis actio contra naturam rationalem eſt ex §. 37. part. tertiæ. Ergo certo effœtæ Matrimonium contra naturam rationalem eſt (1).

§. 41.

---

(1) Plura ſunt diſtinguenda, ne ex hac propoſitione detur ambiguitati locus. Et primo aliud eſt matrimonium, ut officium naturæ, aliud ut Sacramentum, ſeu officium Chriſtianæ Religionis. Propoſitio loquitur de matrimonio, ut eſt officium naturæ, non ut Sacramentum. Secundo hæc propoſitio nec ætatem ſtatuit, nec ſexum; ſed ſolum intelligenda in hypotheſi, quod natura ſit effœta. Notum eſt enim, principium, & terminum fœcunditatis pro varia cæli, loci regione, varia corporum ſtructura, valetudine, temperationumque inter ſe conjunctione, varietatem ſumere. In America Meridionali anno ſeptimo viro eſt matura mulier, trigeſimo fæcunditatem amittit. Noſtris regionibus vulgo antequam decem, & quatuor annos ſint natæ, non ſunt fœcundæ mulieres: quadrageſimum inter, & quinquageſimum ceſſat earum fœcunditas. Lex civilis communiter duodecimo anno mulieres, quartodecimo viros idoneos matrimonio judicat. Præterea in viro etſi ſit exactæ ætatis, vigor tamen generationis manet; non ita in muliere. Unde, qua ætate, quo tempore fœcundi homines ſint, non fœcundi, quid facti, ut ajunt, eſt; quod ſtatui tatione non poteſt. Poſito tamen facto, aut hypotheſi, quod juris ſit, definiri tunc poteſt. Itaque in hypotheſi, quod ſit effœta natura, nihil facilius, quam quid ſit illi conſonum, & accommodatum ſtatuere. Etenim ſi natura ab effætis vim, & finem generationis excluſit, quonam alio poſſint duci fine ad exercitationem matrimonii, niſi ſolo explendæ voluptatis? Quæ cum ſit motus inordinatus, in matrimonio idcirco non damnanda, quia vitium eſt, ac defectus naturali officio generationis ſuperveniens. Ceſſante vero vi, ac fine generationis, qui eam vult, neceſſe eſt, non ad finem congruum naturæ, ſed tantum per ſe velit. Unde fit, ut natura rationalis volens, ac per ſe conſentiat motibus inordinatis inferioris, & irrationalis naturæ. Sane in ſtatu legis naturalis, cum multæ jam eſſent ætatis Sara, & Abraham matrimonii uſu abſtinuerunt, idque ex eo intelligitur, quod ubi Saræ nuntiatum, fore, ut brevi conciperet, riſit; defecerant enim menſtrua, ait Sacra Hiſtoria; & eam adduxit rationem, quod non ejus eſſent ætatis ipſa, & vir ejus, ut indulgere voluptati deberent. En ergo ut ii deſierant uti conjugio: Gen. 18. 10. Cui dixit: *revertens veniam ad te tempore iſto vita comite, & habebit filium Sara uxor tua: Quo audito Sara riſit poſt oſtium tabernaculi. Erant ambo ſenes, provectæque ætatis, & deſiderant fie-*

ri

ri muliebria: *Quæ riſit occulte dicens: poſtquam conſenui, & Dominus meus vetulus eſt, voluptati operam dabo?* Ethnici quoque, etſi obruti tenebris erroris, & ignorantiæ, & omnium generum libidinibus dediti, tamen matrimonium effœtorum ut abſonam rem, ac monſtri ſimilem habuerunt. Teſtimonio eſt Martialis, qui illud cachinnis excipit. Vide lib. 3. Epig. 29.

At Eccleſia ſenum matrimonia non improbat: ſi conjunctio certo effœtorum eſt contra naturam, quomodo ab Sacramenti dignitate non amovet? Sane hujus loci, & philoſophicæ tractationis non eſt, quod ratione ſtatuitur, cum ſacro Eccleſiæ ritu componere. Pertinet id ad Theologum. Cæterum ut aliquid de hoc quoque dicamus: primum omnium, docent omnes Theologi, ſi quis matrimonium ineat alio fine, præterquam generationis, nunquam expertem eſſe culpæ, ſaltem venialis; etiam ſi id fiat cauſa vitandæ fornicationis, vel valetudinis: propterea quod quivis uſus concupiſcentiæ, cui ut finis non eſt propoſita generatio, vel juſtitia debiti reddendi, ſemper eſt peccatum, ſaltem veniale. Audi Auguſtinum, qui ductus auctoritate Pauli Apoſtoli Enchir: cap. 78. ſic inquit. *Putari poſſet, non eſſe peccatum, miſceri conjugi non filiorum procreandorum cauſa, quod bonum eſt nuptiale, ſed carnalis etiam voluptatis, ut fornicationis, ſive adulterii, ſive cujuſquam alterius immunditiæ mortiferum malum, quod turpe eſt etiam dicere, quo poteſt tentante ſatana libido protrahere, incontinentium devitet infirmitas. Poſſet ergo, ut dixi, hoc non eſſe peccatum, niſi addidiſſet Apoſtolus: Hoc autem dico ſecundum veniam, non ſecundum imperium. Quis jam eſſe peccatum neget, cum dari veniam facientibus Apoſtolica auctoritate fateatur?* Item lib. de bono Conjug. 6. 7. *Reddere debitum conjugale nullius eſt criminis: exigere autem ultra neceſſitatem generandi, culpæ venialis.* S. Bonaventura in 4. ſent. diſt. 31. ar. 2. ad 24. *Qui coit cauſa fornicationis vitandæ in ſe, in hoc ſemper peccat venialiter.* D. Thomas diſt. 31. queſt. 2. art. 2. *Duobus ſolis modis conjuges abſque omni peccato conveniunt; ſcilicet cauſa prolis procreandæ, & debiti reddendi, alias autem ſemper eſt ibi peccatum, ad minus veniale.* Et in reſp. ad 2. *Si aliquis per actum matrimonii intendat vitare fornicationem in ſe, ſic eſt ibi aliqua ſuperfluitas, & ſecundum hoc eſt peccatum veniale; nec ad hoc eſt matrimonium inſtitutum, niſi ſecundum indulgentiam, quæ eſt de peccatis venialibus.* Idem docet doctor Angelicus in reſp. ad 4. de actu conjugali ſanitatis cauſa. Merito inde anno 1679. 2. Mart. ab Innocent. XI. damnata fuit hæc propoſitio quæ eſt num. 9. *Opus conjugii ob ſolam voluptatem exercitum omni penitus caret culpa, ac defectu veniali.*

Deinde mos Paſtorum Eccleſiæ hic ſemper fuit, ut quantum in eorum facultate eſſet, ſanis conſiliis eos, qui effœti cenſeantur, præſertim mulieres, ab matrimonio dehortarentur. Vide Juveninum in comment. de Sacram: cap. 11. §. 1. n. 2.

Rur.

Digitized by Google

Rurſus Patrum, & Theologorum omnium fere ſententia eſt, eſſentiam matrimonii non in commixtione corporum, ſed in animorum vera, & indiſſolubili conjunctione conſiſtere. Imo perfectius eſſe ajunt matrimonium eorum, qui certo animo, & voto etiam ſuſcepto nunquam dandi locum concupiſcentiæ, illud ineunt. Ut fuit matrimonium inter Beatiſſimam Virginem, & Sanctum Joſeph, quos, etſi nullus interceſſerit motus concupiſcentiæ, perfecto tamen conjunctos fuiſſe matrimonio Sacræ Literæ teſtantur: ut etiam in hiſtoria Eccleſiaſtica docent exempla eorum, qui data utrimque fide, conjugii uſu abſtinendi, matrimonium ſuſceperunt. Conſule Renatum Hyacintum Druven de Re Sacramentaria lib. 9. quæſt. 1. §. 9. in corol.. Longum eſſet Theologos omnes adducere, doctrinam hanc tuentes contra unum Gratianum, qui ut ille ait, alium non habuit ſectatorem præter Joannem Wicleffum, & quoſdam hæreticos, quos Gotti affert. Deceptus fortaſſe fuit Gratianus iis patrum teſtimoniis, quos aut apocryphos, aut adulterinos pro veris, ſinceriſque habuit. Satis ſit Merbeſius, qui de Sacr. Matr. differ. 7. queſt. 45. paulo poſt probatam concluſionem ſecundam hæc ait: *Ad conſtituendam matrimonii eſſentiam id unum requiritur, ut inter contrahentes ſit mutua animorum conjunctio in individuam vitæ ſocietatem diverſitate ſexus*. Patrum teſtimoniis inſignioribus uno, vel altero contentus ero. Qui plura deſiderat quemvis adeat Theologum, qui hæc fuſius pertractet. Igitur Auguſtinus hæc habet lib. 1. de Nup. & conc. 1. 11.. *Quibus vero placuerit ab uſu carnalis concupiſcentiæ ex conſenſu in perpetuum abſtinere, abſit, ut inter illos vinculum conjugale rumpatur, immo eo firmius erit, quo magis ea pacta ſecum inierunt, quæ carius, concordiuſque ſervanda ſunt non voluptariis nexibus corporum, ſed voluntariis affectibus animorum. Neque enim fallaciter ab Angelo dictum eſt ad Joſeph*: Noli timere accipere Mariam conjugem tuam. *Conjux vocatur ex prima fide deſponſationis, quam concubitu nec cognoverat, nec fuerat cogniturus. Nec perierat, nec mendax fuerat conjugis appellatio, ubi non fuerat, nec futura erat carnis commixtio. Erat quippe illa virgo, ideo eſt ſanctius, & mirabilius jucunda viro ſuo, quia etiam fœcunda ſine viro. Propter quod fidele conjugium parentes Chriſti vocari ambo meruerunt; & non ſolum illa pater, verum etiam ille pater ejus, ſicut conjux matris ejus, utrumque mente, non carne... Sed cum illo non ſeminante illa peperiſſet, profecto nec ambo parentes eſſent, niſi inter ſe etiam ſine carnis commixtione conjuges eſſent*. Et ſerm. 51. de diver. 6. 13. *Non itaque propterea non fuit pater Joſeph, quia cum matre Domini non concubuit. Quaſi uxorem libido faciat, & non charitas conjugalis*. Contra fauſtum Manicheum lib 23. 6. 8. *Joſeph Mariæ maritus dicitur habens eam conjugem continenter non concubitu, ſed affectu; non commixtione corporum, ſed copulatione, quod eſt carius, animorum*. Idem lib. de bono conjug. 6. 3. & alibi paſſim. D. Thomas 3. par. q. 29. art. 2.

Digitized by Google

ar. 2.. *Matrimonium, ſive conjugium dicitur verum ex hoc, quod ſuam perfectionem attingit. Duplex eſt autem rei perfectio prima, & ſecunda. Prima quidem rei perfectio conſiſtit in ipſa forma, ex qua ſpeciem ſortitur. Secunda vero perfectio conſiſtit in operatione rei, per quam res aliqualiter ſuum finem attingit. Forma autem matrimonii conſiſtit in quadam indiviſibili conjunctione animorum, per quam unus conjugum indiviſibiliter alteri fidem ſervare tenetur. Finis autem matrimonii eſt proles generanda, & educanda*. Hugo de S. Victore apud Merbeſium. *Diſcutiamus, ut poſtulas, quid ſit conjugium; & ex ejus definitione propoſita conſideremus, ſi ſimul eſſe potuerunt in virgine Matre, & conſenſus conjugalis, & propoſitum virginitatis. Quid enim eſt conjugium, niſi legitima ſocietas inter virum, & feminam; in qua videlicet ſocietate ex pari conſenſu uterque ſemetipſum debet alteri? Conjugium eſt ipſa ſocietas reali conſenſu confœderata, quæ altero vivente alterum ab altero non diſſolvit.*

Eſt adhuc alius conſenſus, ſed carnalis commercii ad invicem exigendi, atque reddendi, ſimilem inter virum, ac mulierem pactionem conſtituens. Comes, non effector conjugii, officium, & non vinculum; qui & ipſe tamen, cum pari ab utroque voto ſuſcipitur, pari etiam neceſſe eſt debito teneatur.

Hujus debiti neceſſitas illos conjugatos ſibi ad invicem non ſubiicit, in quibus, dum conjugium contraheretur, vel ſanciretur, hujus operis conſenſus non præceſſit. Nec tamen hoc officio ceſſante, veritatem, ſeu virtutem conjugii ceſſare credendum eſt, imo potius tanto verius, ac ſanctius conjugium eſſe, quod in ſolo caritatis vinculo, non in concupiſcentiæ carnis libidine fundatum eſt. Catechiſmus Romanus de matrim. n. 8. Parochos hortatur, ut fidelibus tradant: *Matrimonii naturam in vinculo, & obligatione ſitam eſſe; ac præter conſenſum, eo, quo dictum eſt, modo expreſſum, ut verum matrimonium exiſtat, concubitum neceſſario non requirit.*

Denique concordi Medicorum omnium judicio conſtat, non poſſe definiri certum tempus, quo mulier abſolute ſit effæta. Clariſſimus Van-Swieten in Comment. ad Aphoriſmos Boerhave §. 1284. Statuit menſtrui fluxus durationem coincidere cum fœcunditatis tempore. Tum adducit exempla mulierum quoque, quæ longe ſupra quinquageſimum ætatis annum menſtrua paſſæ ſint. Daniel Puerarius Genevenſis Medicus ſcripſit Thomæ Bartholino, quæ ſequuntur, quorum teſtem ſe fatetur: Mulier quædam octogenaria a duobus circiter annis menſtrua patitur ἐυτάκτως cum ſanitatis commodo, & εὔφορλα. Plura exempla mulierum, quæ menſtrua paſsæ ſunt ſupra annum quinquageſimum legere eſt apud Haller Element. Phiſiolog. T. 9., & apud innumeros alios ſcriptores, quos affert Hiſtor. Academiæ Scient. anno 1708. Ubi legere eſt Mulierem menſtruatam ad ann. uſque 106. Quodque propius ad rem

no-

§. 41. Omnis actus libidinis tum extra matrimonium, tum in Matrimonio, qui ad generandam prolem non tendit contra naturam rationalem eſt. Demonſtratio patet ex antecedentibus (1).

§. 42.

noſtram pertinet, dictus Haller eodem Tomo 9. aſſerit Mulieres filios, filiaſque poſt annum quinquageſimum uſque ad annum ſeptuageſimum edidiſſe. Ex quibus, aliiſque, quæ brevitatis gratia omitto, conficitur, definiri ætatem nullatenus poſſe, qua mulier certò ſterileſcere dicenda ſit.

His poſitis, en quid differat matrimonium, quod conſideratur ſolum, ut matris munium ad procreationem prolis, de quo nos in hac compendioſiſſima Juris Naturalis Inſtitutione loquuti ſumus, & quemadmodum ſpectat illud Eccleſia. Eccleſia conſiderat illud ut vinculum, & conjunctionem animorum, in quam Deus effundit cœleſtem gratiam, largiuſque in eos, qui cordium, & charitatis vinculis, quam qui commixtione corporum conjunguntur: illos vero actus, qui excedunt conceſſos fines, qui non ad generationem, aut debiti juſtitiam ſe referunt, ut cum generatio eſt impoſſibilis, accenſet peccatis. Hinc orta Paſtorum conſuetudo piis exhortationibus deterrendi matrimonio eos, qui effæti communi lege naturæ exiſtimantur: illud enim ante oculos habet, pene impoſſibile eſſe, ut ii aliquo damnabili uſu concupiſcentiæ non inquinentur. Ex alia parte, cum connubii eſſentia non in corporum, ſed animorum communicatione conſiſtat, & præterea illud in foro exteriori credere de filiis ſuis debeat Eccleſia, quod nimirum duce gratia interiori, quæ ad bonum ſemper movet, nunquam ad malum, ad id ſacramentum accedant; injuriam ſeſe iis putat facturam, & notam ignominiæ inurere, ſi ab Sacramento eos arceat, quod ſuſcipere optime ſine impuritatis exercitatione poſſunt. Hinc cum certum, exploratumque ſit in Eccleſia, actus maritales, cum phyſice eſt impoſſibilis generatio, eſſe peccatum, non illud dicendum, eam hos actus ad Sacramentum evehere, ſed tantum probare bonum ſocietatis; jam enim alioqui, quod ſit ejus de hoc judicium, conſtat; nempe omnes impuros actus adnumerandos eſſe peccatis. Nos vero, qui in jure naturali matrimonium ſolum ut exercitationem concupiſcentiæ ad propagationem prolis, & divinæ gloriæ amplificationem ſpectavimus, merito, data hypotheſi, quod generatio ſit impoſſibilis, tales actus, & tale matrimonium contra rationem, & naturam eſſe ſtatuimus. Quod vero Medicorum judicio definiri non poteſt tempus, quo mulier ſit effœta, & generatio haberi non poſſit, hoc nec infirmat noſtram propoſitionem, quæ procedit ex hypotheſi, & mori ſuffragatur Eccleſiæ Senum conjugia etſi ægre admittentis.

(1) Duo continet hæc propoſitio. Primo prohibet omnes actus vene-

ne-

Digitized by Google

§. 42. Finis Matrimonii eſt augumentum gloriæ divinæ ex §. 28. part. tertiæ. Actio determinanda ex fine, ac proinde

---

nereos extra matrimonium: de quorum generibus, melius eſt ſiluiſſe: unum illud nequaquam ſilentio tegendum, omnes hujuſmodi actus eo majorem in ſe claudere malitiam, quo a prolis ſuſceptione, & educatione magis abſunt. Secundo loquitur de actibus inter conjuges ipſos, qui non habent ut finem generationem puerorum. Equidem non ut derogem aliorum auctoritati, ſed ut ingenuè dicam, quod ſentio, fateor, numquam probari mihi potuiſſe ſententiam illorum, qui in matrimonio duos fines admittunt; primarium unum, alterum ſecundarium; primum ajunt eſſe ſuſceptionem prolis, alium remedium concupiſcentiæ: Ego quidem in natura rationali alium finem præterquam prolis generationem non invenio. Verum quidem illud eſt, generando mederi concupiſcentiæ; ſed ex eo non oritur, debere eſſe finem, explere concupiſcentiam. Uſus mediorum nunquam fuit finis. Si volunt finis nomen ei adjungere, nil moror in quæſtionibus verborum. Sed ſi nomine finis ſecundarii intelligunt, quod etiamſi non ſit poſſibilis generatio prolis, aut opponatur rectæ formationi fœtus, poſſit tamen dari locus concupiſcentiæ; & actus hujuſmodi idcirco non improbandos, quod ſint inter conjuges, hoc illud eſt, in quo erraſſe hujuſmodi auctores puto. Ego quidem hos actus ſemper habui ut oppoſitos rationali naturæ. Undenam etenim internam malitiam, turpitudinemque horum actuum in non conjugatis hauriemus, niſi ex eo, quod non tendunt primo, & per ſe ad ſuſceptionem ſobolis, & educationem? Concupiſcentia eſt natura ſua motus inordinatus ex §. 13. part 3. Velle eam per ſe, idem eſt, ac aſſentiri inordinationi, & perverſitati naturæ. Videant hujuſmodi auctores, ne dum indulgere concupiſcentiæ, dum ſit inter conjuges, improbandum non putant, ſi ea utantur non ut medio, ſed ut fine, eo loci redigantur, ut non poſſint damnare præpoſteram Sodomiticam libidinem, a qua nil mali fluit in Rempublicam; ut non poſſint improbare fœdas conjugum ipſorum obſcœnitates, quæ manifeſto ſunt contra naturam. Quomobrem etſi in Matrimonio expleatur voluptas ſenſibilis; *Qui non poteſt continere, nubat*, non idcirco tamen quivis actus libidinis inter conjuges, nec quovis tempore, vacat culpa, ex nota præced. *Tribulationem tamen carnis habebunt hujuſmodi*. Si id verum eſt, quod quorumdam Anatomicorum animadverſiones teſtantur, naturam fœtu concepto prudenter vulvam obſtruere, quo tenelli fœtus informatio defendatur, unde impoſſibilis, ut communiter animadvertitur, alter conceptus, ſeu ſuperfœtatio; colligitur ex eo, tunc alium eſſe non poſſe actuum maritalium uſum, niſi ſolum

de ex ipſo officium petendum eſt. Ergo officium parentum eſt ita filios inſtituere, ut Gloria divina augeatur.

§43.

lum ut expleatur voluptas. Lex vetus indixit graves pœnas iis, qui accedere ad mulierem menſtruatam auſiſſent. Quod indicio eſt, aut difficilem tunc eſſe conceptum, cum ad humorum exonerationem intenta eſt natura; aut non ſanam ex eo fœtus efformationem eventuram, ut etiam in puerperio. Sitne innoxium lac indulgentium Matrimonio, & quæ mala in infantes inducat, medicis relinquo: non enim medicum ago, ut de his rebus poſſim ferre ſententiam. Sed neque tanti ſum, ut Philoſophum profitear: niſi quod, eo neceſſitatis jam adductus, ut de his agere debeam, hujus ſtatus tam imperfecti quæ ſit perfectio, pro ut videtur, expono. Inter animalia bruta feminæ, cum jam gravidæ ſint, marem haud admittunt: indicio, id abhorrere naturam. Atque eo etiam id natura confirmat, quod vulgo cujuſvis generis mulieres prægnationis tempore nequaquam concipiunt. Homines quoad partem inferiorem ſimillimi ſunt brutis. Imo hæc puriorem, ſimplicioremque naturæ inſtinctum retinent, cum non ſint prava educatione, & perverſis rerum opinionibus corrupta. Si itaque, quid natura his experimentis doceat, conſulamus, ipſa etiam monet, opus eſſe, ut nuptæ, non cum lubet, dent locum concupiſcentiæ, ſed frænent plerumque eam, & avertant. Concupiſcentia ſanguinem incitat, perturbat: ſanguis proinde humores omnes. Hinc puto in infantes tot mala tranſmitti cum ſanguine, infirmitatem membrorum, non bene firmam partium ſolidarum, totiuſque corporis adhæſionem, mentis ſtuporem, & hujuſmodi: amittit enim natura concupiſcentiæ uſu vigorem. Detur autem, poſſe mulieres, cum gravidæ ſunt, iterum concipere: & id velint eo fine, ut numerus Deum colentium, & agnoſcentium augeatur. Quænam non inde incommoda ſequantur, neceſſe eſt, lactante, & infanti nutrimentum præbente matre? Opus eſt enim, ut lactet cum gravida eſt; ac, ſecundo ſuborto ſimul cum primo, nutriat eadem parens juxta legem naturæ. Imo illud etiam conſequitur, tot ſimul debere velle, ac lactare filios, quoties, dum gerit uterum, Matrimonio utuntur. Nos vero id videmus, homines eos, qui corrupto hujus ſæculi more tradunt nutricibus filios, cavere, ne eæ, dum lac præbent, non concubitu abſtineant. Nempe tunc ratio paſſionibus libera, quoniam res alterius agitur, quidnam filiis perutile ſit, optime videt: præſtabilius idcirco eſſe putant, ut mulier, quæ lac præbet, ſtet procul viro. In quo mihi videtur ipſa loqui natura. Eget profecto natura ſuis intervallis, ut reficiat vires, ac deinde ad exercendas eas redeat. Cum lac infanti, & nutrimentum præbendum videmus,

Digitized by Google

§. 43. Qui Religionis officiis inſtructus non eſt, Parentis munus obire nequit; ac perinde Matrimonium ſi contrahat, contra naturam agit.

D. Matrimonii finis eſt augumentum Gloriæ divinæ. Actio de-

---

eo ſe omnem convertere, illuc collocare ſuas vires ad rem tam ſibi propriam; ideo ipſa monet, non eſſe tunc concupiſcentiæ dandam operam. Animalia bruta, quia opportune utuntur hoc commercio, ſine multa ejuſdem exercitatione concipiunt; hinc dant fœtus ſanos, bene valentes, & qui ad ſtatum proprium cuique perveniunt, niſi aliquo exteriori incommodo afficiantur. Quænam dicenda de nuptis ea jam ætate, in qua natura videtur edendis partubus deſtitiſſe, ex his quæ diximus in nota §. 40. clarum eſt. Credo equidem cuicumque, qui animo paſſionibus, & præſertim libidinibus libero rem inſpiciat, non denique has meas cogitationes prorſus inanes viſuras: imo his limitibus debere coerceri congruum uſum Matrimonii, rationi, & naturæ, quæ ad ſolam religionem creata eſt, accommodatum. Scio, quæ nonnulli his obiicere poſſint: Abſtinere uxore cum gravida eſt, cum lac præbet infanti ad certum tempus, in menſtruis, puerperio, omni deinde ſenectute durum eſſe, ne dicam impoſſibile, tecto eodem præſertim, ac lecto utentibus. Sed qui hoc vitæ genus cauſa religionis ingreditur, ſcire debet, eatenus licere nobis uti hoc mundo, quantum ad propriam felicitatem conducat, ut in priori Parte demonſtravimus. Cæterum de hujus ſtatus perfectione, ac puritate ego loquor. Si in recto uſu actio eſt imperfecta, quid de non recto, & pleno libidinis dicendum? In lege veteri multa, quæ ſecundum legem non erant, permittit Deus; ſed propter duritiem cordis eorum. Quapropter quid juris ſit, ſcientibus dico, quid propter corruptionem carnis, vel ad duritiem cordis indulgendum, prudentibus relinquo. *Tribulationem tamen carnis babebunt hujuſmodi; ego autem vobis parco.* Dummodo id ſciant; quidquid ex permiſſione fit, purgatione deinde multa, & igne eſſe luendum. Sint conjugibus ſemper ante oculos, quæ Raphael Angelus monuit de hoc ſtatu Tobiam. Non abs re eſt hic referre. Tob. 6. 14. *Audi me, & oſtendam tibi, qui ſunt, quibus prævalere poteſt dæmonium, hi namque, qui conjugium ita ſuſcipiunt, ut Deum a ſe, & a ſua mente excludant, & ſuæ libidini ita vacent, ſicut æquus, & mulus quibus non eſt intellectus; habet poteſtatem dæmonium ſuper eos.* Capite autem 8. 4. *Hortatus eſt Virginem Tobias, Sara exurge, & deprecemur Deum... Filii quippe Sanctorum ſumus, & non poſſumus ita conjungi ſicut Gentes, quæ ignorant Deum.*

Digitized by Google

determinanda ex fine, ideoque ex ipſo officium oritur. Officium ergo parentum eſt, ita inſtituere filios, ut Gloria divina augeatur. At qui officia Religionis non callet, non poteſt ita filios inſtituere, ut Gloria divina augeatur. Ergo qui Religionis officiis inſtructus non eſt, parentis munus obire nequit; ac perinde Matrimonium ſi contrahat, contra naturam agit (1).

---

(1) Nunquam mihi vera, etiam ſecundum naturam, viſa ſunt matrimonia, quæ ab Atheis, & iis, quibus deeſt vera Religio, contrahuntur: ſed potius fontes inſauſtæ paſſionum, & ignorantiæ, ab quibus late manant, impietas, & corruptio. Anima naturæ eſt Religio. Ea nunquam agit, niſi ad Religionem; nec unquam quieſcet, niſi cum venerit eo, ut impleatur in omnibus Religio. Inde etiam eſt, quod non habet ut licitas actiones, quæ non moventur Religione; nec probat interiori judicio conſcientiæ, niſi quæ referuntur ad Religionem. Quod autem attinet ad eos, qui profitentur veram Religionem, dogmata vero ejus, & leges probe animo perceptas non habent, ne horum quidem matrimonia ſunt ſecundum naturam. Verum in hoc duo extrema vitanda. Unum eorum, qui cenſent, non ſecus ac iis, qui repentino correpti periculo jam in eo ſunt, ut ducant extremum ſpiritum, ſatis eſt in eo temporis puncto, ne denegetur ſacramentalis abſolutio, ſi prima ſciant, & nuda elementa Religionis, ac peccatorum dolere ſe monſtrent; ita conjuges cum ad matrimonium admittantur, non aliud ultra neceſſe eſſe, ut ſciant. Aliud eorum, qui eam ſcientiæ religionis profunditatem, quæ Theologo par eſſet, expoſcunt. Ii quos natura vocat ad ſtatum conjugalem, ad propagationem Religionis vocat, non ad indulgendum libidini, & civilem ſocietatem augendam, ut Politici rebantur Gentiles. Ergo teneant religionem opus eſt, priuſquam ineant nuptias. Nec ſatis, delibaſſe prima quædam elementa, quæ in eorum imaginatione ſint tanquam pennicillo depicta; & quibus, ſi loco cedant, memoriaque excidant facile, & nihil ſentiente conſcientia, cujuſvis falſæ Religionis elementa alia ſubrogari poſſent. Qui enim fiet, ut inter ſollicitudines rerum domeſticarum, & ſtuporem mentis, quem ferunt ſecum illecebra ſenſus, & maritalis voluptas, tradere aliis poſſint præcepta Religionis, ſi non bene ante didicerint? Aut qua ratione diſcerpti tot curis, & delectationibus ſæculi convertent ſe ad percipienda ea, quæ, cum liberi eſſent, & ſibi conſulere potuiſſent, numquam ediſcere voluerunt. Eſt immodicus zelus, Theologi ſcientiam ab jungendis matrimonio expoſcere. Sed eſt etiam gravis quædam fatuitas, quæ mille

Digitized by Google

compleɛtitur culpas, non ad illud obſtringere, ut catecheſim probe ſciant. Probe, inquam, opus eſt, ſciant. Neque enim, niſi ejus inſtitutionibus plenum, ſaturatumque animum ad nuptias afferant, redundare inde in filios præcepta poterunt morum. Uno hoc modo fœcundum pectus pro variis rei domeſticæ commutationibus, pro filiorum ætate, ingenio, tempori cuique aptam diſciplinam adhibebit. Animæ puerorum infelices, quæ tam longe ab felicitate veſtra degitis pravis parentum inſtitutione, & exemplis, veſtris age clamoribus Paſtorum mentes ſomno graves excutite. Ut ab politicis curis, ab faſtu, ab aulicorum aſſentatione, ac frequentia elatos oculos, tumidaque capita in domos pauperum, in atria nobilium, in quidquid ubique veſtræ ætatis eſt, deflectant: &, quibus ſenſibus, quo in Religionem amore irreligioſi Parentes filiorum animos imbuant, quos per vias diſcurrere corruptioni prædam ſinant, ſuis aliquando ut ipſi oculis cernant. Et de eo ſimul certiores eos facite: malum quodcumque prava parentum educatione in vos venerit, in capita eorum omne demum caſurum. Neque illud valet, quod plerique conjugatorum, quo minus curent ſcire præcepta Religionis, cauſantur: quam nempe opem adminiſtri Religionis in erudiendis eorum filiis ferunt. Quam hoc ſit vanum, quod dicunt, ut cognoſcatur: Certum eſt, in pueris antequam ratio evolvatur, quaſcumque inſtructiones, & præcepta depingi tantum in phantaſia, veluti colores in tabulis. Deinde, cum excitatur ratio, paſſiones etiam cum ea excitantur: imo hæ regnant ſemper in pueris; niſi quod ante uſum rationis non morales, ſed ſolum phyſicæ dici poſſunt: Nocent nihilominus etiam tunc rationi; quia uſque ab infantia motæ, & exercitæ, pravos habitus in nobis fecerunt; & cum ſe explicat ratio, & adhuc infirma eſt, facile in eam jam prævalidæ dominantur. Accedit, quod ratio etſi expedita, & libera, ne tamen motibus his dominantium paſſionum vim magnam, ut opus eſſet, faciat, volens ſe ſubdit, & ab iis ferri ſe patitur. Quæ cum ita ſint, quanam ratione Miniſtri Religionis dimidio tantum horæ tot ſimul pueris, nec ſæpe, innumeras hujuſmodi ideas alte educatione defixas evellere ab animo, & imaginatione poſſunt? Quid loci habebunt inter præjudicia, quæ longo cum parentibus uſu animum obſederunt, monita pauca ſacrorum præceptorum? Anne poterunt tam brevi tempore, quomodo cibo, veſte, potu, quocumque ſe iis offert objecto, religioſe uti debeant, in eorum mentes imprimere? ac multo magis, ut vulgo uſuvenit, inter plane oppoſita iis, quæ docentur, & aſſidua domeſticorum exempla. Hæc eadem religioſorum hominum monita, quæ tam pauca ſunt, præſertim ſi cum parentum inſtitutionibus conferantur, teneris adhuc annis non licet pueris eo ſe conferre, ut accipiant. Cum deinde in eo ſunt, ut per ætatem id liceat, & jam ſe expedit ratio, paſſiones quoque, quæ tranſverſum eam agant, erumpunt. Regnat inſuper in pueris naturalis

quæ-

Digitized by Google

quædam levitas, maximus amor in luſus, & nugas, nullus in Religionem; & quod pejus eſt, quodque ex conſuetudine cum parentibus ipſis, cum natu majoribus, minoribus oritur, ne illud quidem ſciunt, quanti interſit Religio. Quo fit, ut nullum incitamentum ſentiant, ſerio ſaltem audiendi, quæ dantur identidem ſalutaria præcepta. Fit interna jactura innocentiæ illecebris ſæculi, amore in res terrenas, plerumque impudicitiis; maxime quod mentem, & ejus facultates ad Deum amandum non aſſueſcunt convertere, quamvis ſit officium nimis grave uſque ab uſu rationis. Generi hominum tam male inſtituto munus Paſtorum non ad aliud plerumque valet, quam ad aſpergendos aquis luſtralibus, & levi rore cineres vitæ ſordibus, & iniquitate concretos; ut & ſepulchra etiam inquinent, & æternas ſubinde flammas ſubeant. Utinam hæc Paſtores propius cernerent, & ad juvenilia ſtudia, perniciemque morum oculos convertere non dedignarentur! Quos ii ſenſus, cogitationeſque nutriant, quam fœde admiſſa celent, profecto viderent. Minus tunc eorum animus curis, quæ nihil ad Religionem pertinent, ageretur. Nec eorum inflata corda, quod ſolidum laborem Religionis aufugiunt, vanas ſententias, falſas rationes cauſarentur. Quæ ſpecie tenus difficultatem rei obtendunt, re autem vera ſatis monſtrant, nullam eos tangere curam publicæ ſalutis. Mundus ſemper corruptus fuit, inquiunt: homines nullius experimenti ad hæc mala neceſſaria commoventur: vulgaria capita, & debiles imaginationes rem augent. Quam vellem rem ipſi propius, & attentius cernerent; nec turbæ aſſentantis, quæ ſemper eos circumſtet, quæ genio eorum dicta, facta accommodat, vocibus, & narrationibus quieſcerent.

Brevem hanc Naturalis Juris tractationem non eo perſcripſi, quod mihi perſuaſerim, omnem facultatis hujus extenſionem poſſe in ea comprehendere. Sed ut juventus, cui lege academiæ noſtræ, acerbo fato numquam non laudandi nominis Archiepiſcopi Franciſci Teſtæ, pene jam intermortuæ, nimis brevi duorum annorum curriculo Naturalium, Civilium, Canonicarumque legum Inſtitutiones explanandæ fuerant, ſemina quædam veri, ac juſti haberet. Illius veri, & juſti, quod veluti fons in civiles omnes, canonicaſque leges ſe effundit; cujus eæ non ſunt niſi explicatio uberior. Illorum deinde curæ erat, leges has fuſius ſuis quamque locis addiſcere. Itaque qui bene intellexeram, quam imperfectæ Inſtitutiones hæ forent, & tantum ad uſum juvenum breviſſimi temporis accommodatæ, numquam inducere potui animum, ut eæ lucem adſpicerent; quamvis multis ab hinc annis de ſcripto tradiderim. Movit tandem, ut illud facerem, non res ipſa, quæ quam indigna luce ſit, plane ſentio; ſed quod ea demum facilior via eſt, ut ex methodo qua conſcriptæ, ex multis quæ huc illuc ſunt aſperſæ doctrinis, ſuis ipſi oculis viri doctiſſimi judicent, num e religione ſit, nec in tanta rei-

pu-

Digitized by Google

publicæ literariæ luce oblivioni amandandum opus, quod dudum animo concepi, cujus tum hiſtoricum, tum ſcientificum conſignavi ſcriptis ſpecimen. Opus, in quo Ontologiam, Coſmologiam, Pſychologiam pertractandam aſſumo; naturæque, & hominis imperfectione perſpecta, & quæ ad perfectionem abſolutam opus eſſent animadverſis, neceſſitatem eorum, quæ deſunt, & revelata ſunt, eruo. Ut deinde ex cognitione virium, quæ ſunt in natura, quæ ſunt ſupra naturam, ſed ad perfectionem etſi non relativam, tamen abſolutam pertinent, totum tum naturalis, tum Divini, tum Civilis juris ſyſtema pleno alveo fluat. Scio, quæ nunc ſcribendi, & typis edendi cacoethes regnet; ſed ab ea ſum alieniſſimus. Id tantum in animo eſt, ſi non Religioni, literiſque inutile exiſtimaveritis, ut me labori non ſubtraham. Veſtrum itaque ingenuum judicium expecto, Viri Sapientiſſimi, ex hoc opere, quod ea etiam de cauſa imperfectum, quod totius conceptæ rei veluti trunca quædam pars eſt, ut manum deinde toti operi admoveam.

FINIS.

ANT 1315530

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google